JOHANNIS SCHEFFERI

Argentoratenſis

MEMORABILIUM SUETICÆ GENTIS EXEMPLORUM

LIBER SINGULARIS.

HAMBURGI & HOLMIÆ

Apud GOTHOFREDUM Liebezeit/ Bibliop.

Typis NICOLAI SPIERINGII,

ANNO CHRISTI cIↄ Iↄc LXXXVII.

NAPOLI

LECTORI BENEVOLO

JOHANNES SCHEFFERUS

S. D.

VEtus error eſt mortalium, id demum obſervationem promærere, quod eſt peregrinum Græca, Romana, Gallica, Italica ſuſpicimus; quæ naſcuntur domi, conculcamus pedibus. Quaſi gratia cœleſtis non tribuerit unicuivis gentium, quòd cum reverentia ipſius debeat amplecti, âpud alios verò in decus & honorem ſuum publicari. Igitur cum & ex noſtris cernerem non paucos vel deſpicere notitiam domeſticæ virtutis, rerumque à majoribus ſuis geſtarum, vel ſi caſu incidant in earum quæ-

dam monumenta, exterius ea ſolum ac in cortice luſtrare, ob eam rem quicquid mihi ſeſe offerebat altiori cogitatione dignum, hoc opuſculo complecti ſum conatus, ut non magis noſtri ſe à bonis ac illuſtribus intelligant in patria deſtitui exemplis, quam gentem ullam aliam, quæcunque illa fuerit. Conſignavi autem fide optima, prout quæque vel in libris & memoriis antiquis reperit, vel ex commemoratione virorum bonorum accepi, vel ipſe denique uſu proprio & experientia cognovi. Adeò de narrationis noſtræ integritate dubitare nemo debet, qui & alias ſic ſumus inſtituti, ut amare veritatem, eamque profiteri noſtro etiam cum diſpendio ab ætate ineunte ſtuduerimus, nec ab iſto inſtituto ad hunc diem dimovere nos cujusquam gratiam odiumve poſſi ſimus. Dedi autem operam, ut eorum res commemorationem tantum, qui in Suecia, vel ex Suecis natu, ut quod in titulo profiteor, verè Gentis Sueciæ proponam exempla, neque alienis noſtros orem plumis. Quòd ſi quis objiciat, virtutem modo hic omiſſis vitiis, exempla memorari, ſciat ideo hoc factum, non quod neſciam & iſta bene multa ſe offerre, vel

diſſi-

diſſimulare quæram, verum quod in tanta ſeculi ad deteriora prolabentis nequitia inſtruendi ſimus non ad vitia, ſed honeſtatem. Utinam autem poſthæc forent, qui ad ductum iſtum obſervare quotidiene gravarentur, quæ memorabilia in vita publica privataque occurrunt, vel quæ obſervarunt jamjam, conſignare adlaborarent, aut me fallunt omnia, aut tanta brevi abundaremus bonorum exemplorum copia, ut ex ea peregrinos etiam inſtruere poſſemus. Nam mihi quidem plurima ignota eſſe propemodum neceſſe eſt, qui ad argumentum hoc non attuli, niſi publicam notitiam. Extant autem longè plura hujus generis exempla in notitia privatorum à majoribus ad ipſos derivata, quam hucusque conſequi poſſibile non fuit. Quo me ſpero excuſatiorem fore, ſi quid prætermiſſum, quod in cenſum hunc venire debebat, videbitur. Cum præſertim exempla dare promiſerim, non ſcribere hiſtoriam. Quam ad rem non eſt neceſſe, credo, ne quid usquam, quod venire in exemplum posſit, emittatur. Vale.

INDEX CAPITUM.

1. De Pietate cultuque Divino.	*Pag.* 2
2. De Prodigiis & oſtentis.	8
3. De Ominibus.	16
4. De Somniis.	20
5. De Prudentia Pacis.	23
6. Sophiſmata Politica.	31
7. Acute arguteque dicta.	36
8. De Prudentia bellorum.	39
9. De Stratagematis.	48
10. De Diſciplina militari.	55
11. De Juſtitia.	59
12. De Severitate.	66
13. De Clementia.	72
14. De Fide.	78
15. De Fortitudine.	86
16. Graviter dicta factaque.	100
17. De Fiducia ſui.	110
18. De Patientia.	118
19. De Animi moderatione.	122
20. De Contemptu honorum.	128
21. De Abſtinentia & Continentia.	133
22. De Liberalitate.	139
23. De Gratitudine.	149
24. De Amicitia.	156
25. De Charitate conjugali.	160
26. De Pietate erga Reges.	164
27. De Regum erga cives ſuos amore.	171
28. De Caritate Patriæ.	175

29. De

29. De Facundia. 178
30. De Robore corporis. 182
31. De Felicitate. 185
32. Qui pericula magna evaſere. 189
33. De mirandis Caſibus. 194
34. De iis, qui humili loco nati inclaruere. 197
35. De fortunæ mutabilitate. 199
36. De Longævis. 206
37. De Morte non vulgari. 208

JOAN-

JOANNIS SCHEFFERI
Argentoratenſis
MEMORABILIUM SUETICÆ GENTIS EXEMPLORUM
LIBER

INter cæteras utilitates, quas adferre crebra rerum ante nos geſtarum lectio conſuevit, nemo equidem ignorat eſſe, quod per illam præparentur animi ad amorem & capacitatem virtutis, qua deinde ſua quiſque in Republ. civis bonus eſſe valeat, ſalutemque cum communem omnium, tum privatam ſingulorum pro re nata promovere. Cæterum ut hoc omnium geſtarum rerum lectio non difficulter præſtat, ita miro ac peculiari penitus ſucceſſu facit earum, quæ majores noſtros habuerunt auctores. Plus enim afficiunt, & in animum deſcendunt exempla domi nata, & per hæreditatem veluti ad nos transmiſſa, & tot gratis favorabilibusque titulis gentis, patriæ, cognationis com-

mendata nobis. Quo magis fas exiſtimamus facta memoratu digna populi Suecorum ex veriſſimis auctoribus colligere, ut electa conductaque in unum facilius noſcantur, oſtendantque, quantum imitationis relictum nobis ſit à majoribus exemplum, cui ſe imparem monſtrare, vel obniti, nil ſit aliud, quam toti gentis nomini maculam turpiſſimam inurere. Quo quidem à flagitio præter ipſam rei fœditatem abſterrere quemlibet oportet amor patriæ, cujus ſalus incrementaque aliis profecto artibus ſervari nequeunt vel promoveri, quàm à majoribus cœpta ſunt initio atque inſtituta. Verum ad rem ipſam nos nunc accingemus.

DE PIETATE CULTUque DIVINO

CAP. I.

INitium à pietate facimus, id eſt capite fonteque omnium virtutum ac felicitatis publicæ, absque qua ingenii humani vis eſt nulla, nullum quantæcunque cautionis aut ſollertiæ conſilium. Qua ſæpe ſola unaque omne iſtiusmodi conſilium aut vis mirifico ſucceſſu profligata & everſa fuere. Cujus rei eximia etiam in gente Suetica leguntur exempla, quorum aliqua (quis enim modico volumine poſſit omnia complecti) nunc ſubjiciemus.

I. Herigarius Beronis Regis Conſiliarius, Præfectusque Urbis Birkæ, non ſolum ipſe ſtatim poſt adductam in has terras religionem Chriſtianam, alacri devotoque animo doctrinas ejus eſt amplexus, ſed & aliis occaſione

caſione quavis inſtillare ſtuduit. Memorabile cumprimis factum ejus, cùm à Danis credita ipſi Birka urbs obſideretur, jamque immineret cædes omnium direptioque. Tunc enim plerisque deorum opem implorantibus, & pretioſiſſima quæque devoventibus, quid, ait, ſpem in lignis ac ſtipitibus reponitis? Aliis opus eſt remediis, ut exitium impendens elabamini. Quærentibusque anxiè, qualia ea eſſent, conſiliumque ejus expoſcentibus, abjiciendum reſpondit cultum idolorum, & auxilium à Chriſto impetrandum precibus collatis ac jejunio. Ita illis omnibus ad pietatem Chriſtianam converſis, per ſupplicationes ſerias ſupremum Numen exoratum fecit, ut Dani de eventu negocii ambigerent, cùmque per ſortes conſuluiſſent Deos ſuos, nec reſponſum accepiſſent, niſi triſte ac adverſum ſibi, ſolverent obſidionem, ac in religiones alias cum claſſe ſua diſcederent.

II. Contra Ericum Regem, cognomento Sanctum, moverat exercitum Scatalerus Danus, eratque illa expeditio tam occulta, ut non prius eam intelligeret Ericus, quam adeſſent hoſtes, eumque Upſaliæ adorirentur. Celebrabatur ea ipſa die memoria Dominicæ adſcenſionis, eratque in templo Ericus, ſacro ſolenni operam daturus, cùm ei hoſtium præſentia nil tali ſuſpicanti, ac periculum impendens nunciatur. Ergo conſtitutus in ancipiti, primum ambigit, mox animum colligit, &, quin potius, ait, pergimus hoc agere, cæteraque curæ divinæ permittimus. Neque templo prius eſt egreſſus, quam finita eſſent ſacra, hoſtisque impetum in ipſum faceret.

III. Celebratur quoque pietas mulierum: quas inter eminet Brigitta, filia Birgeri, legum ac judiciorum per Uplandiam cuſtodis ac præfecti ſummi. Ea quippe ab initio ætatis dedita rerum divinarum meditationibus, non modo ſtudio ſingulari & ardore pietatis pro illarum conſuetudine temporum difficillimas peregrinationes adiit, perque Orientem loca Chriſti cum hominibus verſantis nobilitata veſtigiis religioſe inſpexit ac recoluit, ſed & Romæ privatum, ac ab omni curarum civilium contagio longiſſimè remotum vivendi genus inſtituit, unicè conſiderando vitam Chriſti, atque quos pro genere mortalium cœlis vindicando pertulit cruciatus ineffabiles. Quo factum quoque putant, ut non raro Chriſtum ipſum viderit, habueritque ſocium ac confabulatorem, multas quoque cruciatuum illius vulgo parum cognitas perſpexerit repræſentatas ſibi ſpecies. Certè hodieque ob has & id genus ſimiles cauſſas cœlitum illata numero, beata prædicatur.

IV. Memorabile cumprimis factum eſt Guſtavi Regis, qui Sueciam tyrannide Chriſtierni oppreſſam, virtute ac felicitate ſingulari liberavit. Laborabat ejus tempeſtate Regnum ſpisſis tenebris, quas ſacrificuli quæſtus ſui ac ambitionis cauſſa pietati veræ miſerrimè induxerant. Id Guſtavus ægrè ferens, quippe qui non libertatis magis, quam religionis puræ ſtudioſus eſſet, ſæpius agebat cum ordinibus, ut, quo pacto malis illis obviam iretur, ſuoque nitori cultus reſtitueretur divinus, ſerio deliberarent. Pleriſque diſplicuit negotium, non pauci clandeſtinis ſacrificulorum artibus extimulati

mulati probra jacere in Regem optimum, & de ſalute omnium, æterna etiam ſollicitum. Quin imo hoſtiles minas, arma denique expediebant. Tum Guſtavus coram omnibus in ſolenni concione: Se vero nolle regnum tanta omnium impietate, miſerabiliqne ſuperſtitione fœdum atque inquinatum. Proinde Regem alium eligerent ſuis aptum ingeniis. Sufficere ſibi, ſi privatim vel ſine regno Numini ſervire queat. Quid religioſius hac voce? Merebatur profectò imperare, qui non, niſi ut ſerviret Deo, imperare cupiebat.

V. Similis huic alius Guſtavus, nepos illius, Regis Erici filius. Errabat is poſt captivitatem patris mortemque paſſim per Livoniam. Sed cùm indolis eſſet eximiæ, atque ob virtutes celebris, mittit ad eum Boris, Magnus Dux Moſchoviæ, qui non ſolum invitarent ad ſpem melioris vitæ, ſi venire ad ipſum haud abnueret, ſed & nuptias filiæ pollicerentur. Venit Guſtavus, habetur amicè ſplendidèque. Tandem Dux ad eum: Quin tu, ſi non dedignaris amicitiam conjunctionemque noſtram, deſeris religionem tuam, & in noſtros tranſis mores. Negat hoc Guſtavus à ſe poſſe fieri conſcientia & pietate ſalva. Inſtat contra Magnus Dux, miſcet precibus pollicitationes amplas, cumque obfirmatum valde cerneret, minas poſtremo addit, nec daturum ſeſe filiam, ni religionem ſuam ejuraret. Ibi Guſtavus plena pietatis gravitatisque voce: Si alia conditione impetrare conjugem non licet, malo cælebs vivere, imo millies perire, quàm Deum meum turpiter deſerere.

VI. Addo his Guſtavis duobus ſuo jure tertium, geſtarum rerum claritate Magnum appellatum. Ecquis enim eo fuit pius magis aut religioſus? Totum, quod adverſus Ferdinandum Cæſarem ſuſcepit bellum quam potiorem, quam pietatis veræ conſervationem, cauſam habuit? quam tum Ferdinandus ex Germania ferro igneque, modis denique omnibus ibat ejectum. Huic cuſtodiendæ, ac ab adverſariorum perſecutionibus in debitam ſecuritatem vindicandæ tot labores, vigilias, moleſtias, ipſum ſanguinem poſtremo atque ſpiritum impendit. Neque aliud quærebat omni vita. Igitur jam in Boruſſia ſaucius aliquando, monituſque à ſuis, ut vitæ ſuæ parceret, nihil ajebat amabilius ſibi, quam pro gloria Divina vel cum capitis periculo pugnare. Quam verò illud eſt inuſitatum pietatis infucatæ argumentum? Trajecerat ipſe bellum Cæſari facturus cum exercitu in Germaniam, & jam appulerat in Portu Rugenſi. Cum exſcenſione facta in conſpectu oculisque omnis multitudinis ipſe proſternit ſe in genua, devotisque precibus ſupremo Numini conſilia cœptaque ſua commendat, gratiamque illius plurimis ſuſpiriis demiſſoque pectore exorat. Teſtatur ſimul apud circumſtantes voce memorabili, pietatem ſolam armis ſociatam eſſe, per quam ſuffragante cœlo victoria hoſtibus extorqueatur. Pari modo poſt victoriam Lipſienſem in illis ipſis campis, quibus hoſtes ſuperaverat, inter cæſa cadavera, ſanguinisque paſſim fluentis rivos procubuit in faciem, cumque univerſo exercitu ſuo voce clariſſima hymnum ſolennem cecinit, & laudes gratiasque egit ſummo Numini.

VII.

VII. Exemplum patrui cum cæteris rebus, tum præſertim pietate ſeria ſtudioſiſſimè ſecutus eſt Rex Carolus Guſtavus. Itaque cùm veniſſet ad imperium, primum omnium, quod ſubſcriptione ſui nominis firmavit, publicum edictum fuit, quo cavebat pietati veræ, ne cujusquam artibus clanculariis interverteretur, vel qui eam ignoraret, profiterive detrectaret publicè, ulli cujuscunque generis admoveretur muneri. Tum demum ratus cuncta proſperè eventura, ſi à pietate infucata velut auſpicium imperii feciſſet.

VIII. Regum Principumque pietatem vidimus, unde colligas & cæterorum. Neque enim poteſt, quin ad tam illuſtria & reliqui exempla ſe componant. Dabo tamen unum, Erici Sckepperi, Scholæ apud Holmenſes Rectoris. Suſceperat is voluntate ac mandato Regis Johannis, nimium obnoxii Catharinæ Ingelloniæ conjugi, ac ob id in religionem *illis* propenſi, conſcribere libellum, quo demonſtraretur, Liturgiam, de qua tum à Rege imperata ingens inter omnes, ſacerdotes maximè, certamen erat, pietati veræ ac per Sueciam receptæ nihil adverſari. Sed quid fit? Quo ſollicitius malæ cauſſæ quærit colores, hoc manifeſtius erumpit veritas, cui poſtremo victas dare manus cogitur. Itaque ab incepto labore deſiſtit, remque reliquit inconfectam. Paulo poſt evocatur in aulam ad Regem, cupidum videlicet videre finem operis, quod pulcherrimum fore putabat. Sed Skepperus animo intrepido, nihil ſe adverſus pietatem poſſe, quam ſemel agnitam, & per ipſos conatus iſtos ſuos luculentius prodentem ſeſe nequeat

queat non toto pectore amplecti. Quare vehementer concitatus Rex non modò acerbiſſimis conviciis virum innocentem, tanquam improbum ac perfidum, proſcidit, ſed & debilem ætate ſuis ipſis manibus proſtravit in terram, frequentiq; pedum conculcatione rupto abdomine ipſa illi viſcera excuſſit, poſtremo carceri triſtiſſimo mancipaait. Nec tamen Skepperus vel per iram Regis, vel tot corporis miſerrimè afflicti dolores; vel calamitates alias quaſcunque potuit compelli, ut à pietate vera, vel unguem, ſicut dicitur, latum recederet.

DE PRODIGIIS & OSTENTIS CAP. II.

PIetatem veram hoc à gratia divina præmium manere ſolet, ut cultores ejus Numen habeant amicum, cujus cura & cuſtodia ſervantur, & ſi quæ adverſa imminent, admonentur ante, adque curam rerum ſuarum velut compelluntur. Pertinent huc ſicut alia, ſic etiam Prodigia, quæ ferè memorabiles in publicis mutationes, caſus improviſos, aliosve triſtiores eventus antecedere conſueverunt.

I. Cum Birgerus Magni ad imperium electus eſſet, accidit, ut paulo poſt ex nubibus guttæ ſanguinis inſtar pluviæ deciderent ad Ringſtaholm, amnis quoque Motala rapidiſſimum alioquin curſum ſuum ſiſteret, alibi per diem integrum, Norcopiæ verò plures. Annis paucis interjectis fratres ejus Waldemarus ac Ericus in ipſius ſummum inciderunt odium, quod ab ipſo quondam

dam prædio Hatunenſi captus, inque cuſtodia habitus fuiſſet. Nihil Regi deerat ad hanc injuriam, ut ipſe judicabat, ſeveriſſimè ulciſcendam, præter idoneam occaſionem. Ea quoque commodè oblata, fratrem utrumque amicitiæ ſpecie ad ſe pertraxit, mox conjecit in carcerem fœdiſſimum, inque eo ſqualore atque fame per complures dies miſerrimè vexatos mori adegit. At verò ipſe Birgerus propter atrox iſtoc ac nefandum facinus exoſus ſuis, & mox bello petitus civili, excidit faſtigio regali ſumma cum totius regni afflictione atque perturbatione.

II. Anno M CD XC in Octobri menſe tres ſimul Soles, pauloque poſt tres pariter Lunæ viſæ ſunt in cœlo, cum iridibus quibuſdam circulisque. Non multis annis poſt cum ingenti exercitu impetum in Finlandiam fecere Moſchi, cunctaque propemodum regionis illius ferro flammaque exſciderunt. Secuta quoque mox eſt inter Stenonem Suantonemque Sturios diſcordia ingens, cui niſi maturè obviam fuiſſet itum, immenſum omnibus periculum creaſſet. Tandem etiam ad Regis Daniæ Johannis, quem per annos quatuordecim ſuſpenſum incertumque tenuere Sueci, ventum coronationem. Poſt quæ tempora quantum malorum Suecia ſubire coacta fuerit, ex monumentis publicis eſt notum.

III. Imperante Johanne Rege, ſpecies canis venatici aperto ore curſuque concitatiſſimo velut prædæ inhiantis viſa eſt in nubibus. Aliquanto poſt apparuit horrendi formidabilisque adſpectus draco, cauda poſt

ſe trahens Solem. Quibus velut imaginibus ad vivum fuit expreſſum tumultus ex liturgico negotio mox exorti propoſitum, quando invidi Sueticæ potentiæ incrementorum per adverſariæ religioni addictos tum perſequebantur Suecos ſicut canes feram, ipſumque veritatis Solem, quantum equidem in ipſis fuit, minis, cruciatibus, omnique ſævitia poſtremo atque truculentia cœlo etiam, ſi poſſent, detrahere conabantur.

IV. Ejusdem Regis temporibus anno M D LXXX in Auguſto apparuit inter ſtellas urſus miræ magnitudinis, totus collucens ignibus, quos de ſe ſparſos emittebat longè, ſic ut perterriti cuſtodes vigilesque arcis Regiæ, Holmenſis urbis incendium imminere perſuaſum haberent. Paulo poſt ſecutum ingens eſt adverſus Moſchos bellum duce Ponto de la Gardie, quo in bello præter Kexholmenſem arcem prope inſuperabilem putatam tota Ingria, nec non pars benè magna Ruſſiæ cum oppidis compluribus in Suecorum poteſtatem eſt redacta.

V. Paulo ante Regis ejusdem obitum ſupra regiam Holmiæ cœlo ſereno apparuere circuli varii coloris, in nubibus. Quos Rex ipſe intuitus nuncios eſſe judicavit mortis ſuæ, gratiæque erga ſe divinæ indices ac teſtes. Quare illos in vicina arci æde ſacra exprimi coloribus mandavit. Neque fuit vanum illud Regis augurium. Paucis enim poſt diebus ex morbo deceſſit.

VI. Quo tempore Guſtavus Adolphus cum exercitu primum iter in Boruſſiam meditabatur adverſus Polonos bellaturus, viſa eſt Dantiſci atque Baltico in Oceano velut claſſis bellica inter nubes è Septentrione

pro-

proveniens, iterque faciens meridiem verſus, frequenter exonerans machinas bellicas, & globos ignæos innumeros emittens. Neque poſt adventum Regis dubitavit quisquam, quin hic fuerit nuncius ingentium prœliorum & victoriarum, quas reportaturus erat Heros invictus à Polonis virtutem ipſius contra ſe per nimium improbæ contentionis ſtudium acriter armantibus. Certè parum aberat, quin Boruſſia tota Sueticæ poteſtati ſe ſubmitteret.

VII. Anno M DC XXIX quarta pentecoſtes feria circa veſperam, piſcatores aliqui prope prædium Lykaoos, quod eſt in Comitum Wiſingsburgenſium territorio, egreſſi ſunt in vicinum lacum Landſiæ, ut piſcibus tenderent retia ſua. Dum in hoc negotio ſunt occupati, ab Aquilone ſurgentes quasdam cernunt nubeculas coloris atri, ſpiſſas de cætero pluviaque gravatas, quæ mox quoque largum dabant imbrem. Verum guttis aquæ mixta ingens ignium horribiliter ſcintillantium copia, quaqua lacus patebat. Eorum ignium quicquid decidebat in lacum, extinguebatur, quicquid verò tangebat piſcatorum veſtimenta, adurebat ea, & poſt ſe veſtigia relinquebat quædam, fruſtaque minuta velut ex foliis arborum igne ambuſtis. Piſcatores in ſummum conjecti ſunt pavorem, ſic ut ægri omnes vix redire poſſent domum, aliqui non ita multo poſt vitam cum morte commutarent. Subſequenti anno à Guſtavo Adolpho cœptum memorabile illud in Germania bellum cum Ferdinando Cæſare, quo vix trium ſpatio annorum ab Oceano ultimo ad Rhænum uſque

ac

ac Danubium quicquid fere urbium eſt gentiumque inſtar fulminis pervaſit, poteſtatique ſuæ ac imperio virtute incredibili ac felicitate ſubjecit.

VIII. Illa ipſa die, qua lætum quidem eventu, at incomparabilis Guſtavi Adolphi morte nunquam non luctuoſum ad Lutzam prælium eſt commiſſum, in Uplandia non procul pago Rasbokil faciebant quidam noctu iter, qui cùm in medium veniſſent pratum, quod templo adjacet, tantum repente tumultum pugnantium, totque diſſonos clamores hortantium, cædentium, fugientium, inſtantium, tot fragores tormentorum fulminaque audiunt, ut ingenti metu conſternati, quò ſe verterent, incerti eſſent, ſibi namque jam in ipſas præliantium illapſuri manus videbantur. Atque licet ſpiſſioribus in tenebris diſtinctè nihil cernerent, tamen proximè abeſſe ab ingenti periculo, aut exitio plane ſuo credebant, donec in proximam dilapſi viciniam, ſummoq; pavore diem expectantes deprehenderent ex campis omni armata multitudine liberis, prodigioſum planè illum tumultum fuiſſe. Neque ita multo poſt adfertur de ingenti victoria, quam adverſus Cæſarem obtinuiſſet Rex, ſed jactura vitæ ſuæ Sueciæ univerſæ feciſſet lamentabilem.

IX. Apparabat Carolus Guſtavus bellum adverſus Poloniam magnis viribus, ſed ſciebant pauci Regis apparatusve illius propoſitum. Cum in menſe Februario anno M DC LV illo ipſo loco, quem ſupra memoravi, die clara non longè à templo miles primum, tendens ſerius ad concionem ſacram conſpicit ingentem

gentem armatorum multitudinem, vi omni prælianti-um. Quod ipſe trepidus nunciat aliquibus vicinis ſuis. Mox rumor per templum omne de inopinata hoſtium irruptione. Quiſque ſibi ſuiſque metuens feſtinat egredi, ſequitur & ſacerdos ipſe. Vix egreſſi erant, cùm animadvertunt à templi latere Septentrionali Meridionalique duos juſtæ magnitudinis exercitus in patenti illic prato acerrimè inter ſe concurrere. Pars multo maxima rem credebat veram agi, tam diſtinctè clarèque cernebantur omnia, equi, viri, frena, ſclopeta, haſtæ, lanceæ, gladii, & ut ictus alter intentaret alteri, ut alter alterum dejiceret ex equo, ut fugerent, ut fugientibus inſtarent, imo ſinguli perſequerentur ſingulos per arbuſta virgultaque, atque enſibus ſclopetisve trucidarent. Non longè inde aberant & claſſes duæ cum malis, rudentibus, vexillis per aërem ludentibus, velis paſſis, & in eis magna nautarum propugnatorumque copia, unde præcipites in mare delabi cernebantur, qui fuiſſent ſaucii aut interfecti. Denique nil ad veritatem deerat, micabant ignes emiſſi è tormentis ſclopetisque, ſurgebat fumus denſæ inſtar nebulæ; ſolus fragor, qualis eſſe præliorum ſolet, exaudiri nullus poterat. A latere ambulabat vir humana ſpecie procerior, demiſſo ad talos pallio, largoque pileo tectus, velut ſpectator prælii ac eventus, qui mox tendebat ad vicinum pagum, quò cùm veniſſet, ipſe, ac cum eo ſimul cætera omnia diſparuere. Menſis ferè ſpatio interjecto illis ipſis in campis viſa eſt multitudo atratorum magna, cum demiſſis ad terram palleis, pileisque largiſſimè patentibus, ſed otioſa, nec

ſe

ſe uſquam movens, mox quoque è conſpectu evaneſcens. Quorum alterum graviſſimum cum Polonis, Danis, aliis bellum, alterum Regis maximi immaturam portendiſſe mortem, dubitare nemo poteſt.

X. Non multo ante, quam is ipſe Carolus Guſtavus ex Polonia peteret Holſatiam, bellum DaniæRegi facturus, in vicinis Holſatiæ littoribus viſa captaque ingens copia eſt piſcium per totam Sueciam notiſſimorum, aliis in locis penitus inſolitorum, quos Stroomlingos vocant Sueci, & ad halecum morem ſale conditos in quotidiano ferè cibo habent, ruſtici præſertim, atque plebs paupercula. Et licet de conſilio Regis ſciret nemo, atque ne ſuſpiçaretur quidem, fuere tamen,qui hos Suetici adventus nuncios haud profectò vanè interpretarentur. Scilicet jam ante fuit obſervatum, cùm Guſtavus Adolphus tenderet in Boruſſiam, & mox quoque in Pomeraniam, captos utrobique piſcium illorum plurimos, quod aliàs locis illis haud conſuevit.

XI. Anno M DC LXV cùm in Pomerania prope Stralſundam piſcatores ſex ad halecum capturam die Aprilis octava circa ſecundam pomeridianam extiſſent in vicinum mare Balticum, primum ex Septentrione inſtar ingentis avium multitudinis advertunt adventare, vertere ſeſe mox in gyrum, tum in unam veluti coire maſſam, quæ paulatim ſe in ſpeciem mutabat navis bellicæ venientis ex Septentrione cum innumeris aliis ejuſdem generis. Quæ cùm huc & illuc aliquandiu feciſſent curſum, æqualis aliarum bellicarum numerus ex Occidente adventare videtur, rectoque itinere tendere

dere ad claſſem alteram, cumque illa ingenti prælio decernere, unde tantum ignium fumique exortum, ut præter duo maxima navigia, unum verſus Septentrionem, verſus Occidentem alterum, cernere nil magnore valerent. Ad poſtremum claſſis Septentrionalis cedere coacta veluti diſparuit, manente interim ſuo loco claſſe Occidentali. Paulo poſt adventant duæ claſſes aliæ, una ex Oriente, altera ex Meridie, ſed navibus & minoribus & paucioribus. Inde claſſes duæ priores concurrere denuo ardore tanto, ut fumus largiſſimè per exploſionem machinarum ortus viſum omnem interciperet. At verò eo pauliſper deinde diſſipato apparebat Occidentalis major navis retro acta, fractis malis, velis ac rudentibus laceris, cum viro in ſummis ſtante tabulis, veſtimento coloris fuſci, pileum tenente ſub brachio dextro, ſiniſtrum verò brachium incurvatum obvertente lateri. Sic utraque ſtante claſſe, una in Septentrione, altera in Occidente, venit ex Meridie navis ingens, quæ longo tempore ingentes utrinque eructabat flammas, fulminaque emittebat ſine numero. Tandem claſſis Septentrionalior diſparuit, Occidentalis ſuo manſit loco: donec ad poſtremum è cœlis prolapſum inſtar diſci rotundi, quanta pilei vulgaris eſſe magnitudo ſolet, colore qualis lunæ, quando deficit, templo urbis dictæ præcipuo impendere videretur, quod præ metu & languore animi piſcatores intueri longius nequivere. Quantum eopſe anno ac deinceps ſecutum inter Anglos Batavosque bellum fuerit, cui ſe Galli mox immiſcuerunt Danique, notum eſt. Neque Suecia manſit

ſit exſors planè, quippe quæ & ipſa mali vicini contagione multiplices in difficultates inducta, unde vix ſe potuit explicare.

DE OMINIBUS
CAP. III.

A Prodigiis non diſcedunt multum omina; nam & ipſis aliquando inſunt manifeſta ſatis curæ ac proviſionis divinæ circa res humanas, incrementa decrementaque vel plurium vel ſingulorum argumenta. Quare illa quoque aliqua commemorabimus.

I. Cùm Ericus Pomeranus regno eſſet exutus, aliquandiu incertum fuit inter Ordines, quem illi facerent ſucceſſorem. Rempublicam adminiſtrabat partem maximam Carolus Canuti, ejusque partibus non pauci impenſiſſimè favebant. Accidit eodem temporre, ut in monaſterio Wadſtenenſi Oſtrogothiæ puerulus, conſpecto ſortè Carolo, alta exclamaret voce, diceretque matri ſuæ, quæ adſtabat, ipſa quoque Carolum ſpectatura: Ecce Carolum, aurea inſignem in capite corona. Ea vox ab audientibus arrepta eſt in omen, quando revera nullam ipſe coronam geſtabat Et licet poſt ad regnum evocatus fuerit Chriſtophorus, tamen omen illud non fuiſſe irritum apparuit, poſtquam ipſo defuncto Carolus conſenſu publico admotus eſt ad imperii gubernacula.

II. Cùm Rex Daniæ Johannes factus Sueciæ ſimul

ſimul Rex eſſet, ea die, qua coronabatur Holmiæ, præcipuos ex Regni Proceribus læto excepit convivio, interque illos & Stenonem Sture, qui tum forte ſimul ſecum conſanguineum ſuum Guſtavum Erici, puerum adhuc ſeptennem adduxerat. Ibi vidit forte Rex Johannes Guſtavum liberali facie, oculis vividis. fronte gravi maſculaque præ ceteris inſignem, ſermonis quoque circumſpectione ſupra ætatem illam notabilem. Igitur his omnibus in admirationem maximam adductus, priuſquam adhuc ſciret, cujus familiæ nominisve eſſet, caput pueri demulcet blande dextra ſua, ſimul addit: Tu quoque olim vir evades, ſi vitam ſervaveris. Quod veriſſimum fuiſſe omen poſt compertum eſt, cum ejecto Chriſtierno tyranno Guſtavus ille factus Rex fuit; ac ſignificaſſe non magnitudinem futuræ ſortis ſolum, ad quam paraturus ſibi viam eſſet per virtutem ſuam, & clariſſima facinora; ſed & difficultates multiplices, quas ſubire cogetur ad ſervandam ex inſidiis tam variis periculoſiſſimisque vitam.

III. Ericum filium Guſtavi recens editum in lucem clauſas utrasque habuiſſe manus tradunt, quas cum aperuiſſet obſtetrix, ſanguis veluti reconditus in ipſis, ubertim non ſine admiratione omnium obſervatus eſt erumpere, ac largiter deſtillare. Res ea ſtatim tracta eſt in omen, credituſque ſanguinarius futurus, cujus a nativitate ipſa manus contra conſuetudinem vulgarem cruor fœde polluiſſet. Neque alius eventus fuit. Quod tot innocentium cædes ex proſapia illuſtri natorum per ſuſpiciones meras, ipſa quoque manu ejus aliquando commiſſæ uberrime confirmant.

IV. Ille ipſe Ericus poſt parentis obitum ex lege publica in regnum ſuffectus cudi fecit nummos, quibus juſſu ejus fuit inſcriptum, DEUS DAT, CUI VULT. Initio res ea parum obſervata eſt. At poſtquam facinoribus ſævitia inuſitata turpibus, in ſui odium cunctos regni adduxit ordines, contraque fratri Johanni, quem tenebat in carcere, fecit faventes, fuere, qui ceu omen regni ab ipſo ad fratrem transferendi hoc acciperent. Ac profecto accidit deinde, ut regia dignitate exutus, longoque tempore habitus in cuſtodia, ipſe id agnoſceret, quando ante mortem ad inſignia regni ſcribi voluit: TRANSLATUM EST REGNUM, ET FACTUM FRATRIS MEI, A DOMINO EI CONSTITUTUM EST.

V. Nondum ab Erico digredimur, quando bene multa triſtem ejus caſum omina ſignificarunt. Inter quæ id maxime videri poteſt memorabile, quod cum in nuptiis, quas celebrabat contra ſententiam omnium regni ordinum, ipſamque dignitatem & auctoritatem ſuam cum puella generis non plebei modo, ſed & ſordidi, Catharina nomine, inſignia Regni manibus ſuſtinerent ex ſolenni conſuetudine ſummi quinq; viri Cancellarius Nicolaus Gyldenſtierna, qui tenebat dextra ſua Regiam coronam, ſive per temporis bene longi ſtationem continuam, ſive alia infirmitate repentina correptus pateretur animi deliquium, quo victus prolabi coronam è manu in terram ſivit. Quod fuere plurimi, qui tunc etiam interpretari aliter haud poſſent, quam Erico calamitatem maximam, ipſiusque forſan coronæ ac imperii portendere jacturam. Plane ut deinde accidit.

VI. In nobiliſſimo ad Lipſiam prælio, quod inter Guſtavum Adolphum regem & Cæſarianos eſt commiſſum, obſervarunt plurimi, cum jam eſſet acies utrinque diſpoſita, impetusque fieri deberet, in militari ſigno Suecicorum conſediſſe columbam, eandemq; paulo poſt uuiverſam illam aciem circumvolitaſſe. Quod cum ſit inſolitum in ave ſuopte ingenio meticuloſa, fuere ſtatim, qui hoc omen læti eventus præciperent ab illa parte, cujus aciem avis illa luſtraſſet. Ac profecto confirmavit hanc ſententiam ingens Regi de Cæſarianis parta victoria, cujus vel inde colligi magnitudo poteſt, quod hoſti ſupra centum ſigna militaria tum fuerint erepta.

VII. Poſt compoſitam inter Sigiſmumdum Carolumque pacem, ſpes erat omnium fore, ut Sigiſmundus cum claſſe, quam a Carolo receperat, navigaret Holmiam, haberet comitia, ſtatumque regni ordinaret. Verum ille contra iter Calmariam inſtituit, quo in itinere navis regia cujus inſigne fuit alba aquila, ſcopulis illiſa & ſubmerſa eſt. Omine non obſcuro, difficulter reverſurum regem Poloniæ in Sueciam, cujus & navis, & inſigne periiſſet.

VIII. Cum qui modo dictus eſt Guſtavus Adolphus continuo victoriarum curſu omnem fere ſubegiſſet Germaniam, conjux illius Maria Eleonora ſingulari capta fuit deſiderio viſendi mariti. Ergo parabantur plurima itineri illius, inter alia & navis grandior cum omni rerum neceſſariarum copia, æris quoque magna vi pluribus tormentis militaribus. Navis illius inſigne

nomenq; WASA fuerat, quod commune cum familia Guſtaviana habebat, ut quæ jam inde a temporibus ultimis nomen iſthoc tenuerit. Vix miliari dimidio e portu digreſſa erat naviſilla, cum ex nec opinato citra cauſſam aliquam idoneam nec illata ſcopulis, nec oppreſſa turbine, fluctibuſve everſa, tota dehiſcentibus undis eſt abſorpta contectaque. Non multo poſt ſecutum celeberrimum ad Lutzam prælium, quo Guſtavus Adolphus victor cecidit. Unde intellectum eſt, illam Waſæ cladem ſummi familiæ ſimiliter nominatæ capitis exitium velut omine aliquo præmonſtraſſe.

IX. Ericus Oxenſtirma Regni Sueciæ Cancellarius imperio Caroli Guſtavi Regis hærebat in Boruſſia compoſiturus negocia cum Electore Brandenburgo. Mittebantur illuc naves aliquot cum rebus neceſſariis, inter eas una quoque, quæ res ferebat Cancellarii, equos, vehicula, & complura alia. Et ceteræ quidem incolumes in portum appulſæ ſunt. Unica hæc in ipſo prope portu periit ſubmerſa. Neque multo poſt Ericus immatura morte per acutam febrim rebus humanis regnique hujus uſibus ereptus eſt.

DE SOMNIIS

CAP. IV.

SOlet aliquando providentiæ Divinæ cura innoteſcere mortalibus per ſomnia. Videlicet hæc vetus ratio eſt Numinis cœleſtis, nec frequentiori alia priſcis temporibus conſilia manifeſtare ſua conſuevit. Præterea ipſis a nimis humanis ineſt vis occulta,

quæ

quæ per quietem libertati ſuæ relicta varias formare imagines ſolet, quibus innuat futura.

I. Ingerdis Erici Sueciæ Regis uxor cum tempore quodam caperet ſomnum, viſa ſibi eſt videre magnum numerum luporum ex Gothia in Sueciam tendentium: ante ipſos ire velut duces lupum unum cæteris ſpecie magnitudineque conſpectiorem, atque poſt coloris albi urſum, ore purpureo inſignem. Properabant omnes Upſaliam verſus, ubi conſtituta erat Ingerdis cum Rege marito ſuo. Itaque tam infeſti agminis adventu perterrita exclamare ipſa voce ſublata, maritique opem implorare & auxilium. Qui e ſomno excitatus quærit ſubiti clamoris cauſſam, & ex Ingerde cuncta ordine intelligit. Non ita multo poſt venit Rex Weſtrogothorum Rolfo cum Ingieldo fratre armatiſque pluribus ad petendam ſibi Torbergam Erici filiam in matrimonium. Qua ex re non pauca prælia cædeſque, donec virtute ſua Rolfo expugnaret animum puellæ ad rem nullam aliam, quam nuptias iſtas, minus proclivem.

II. Temporibus Stenchilli Regis erat ſacrificulus paganus, qui frequenti cultu diis tribus in ſplendidiſſimo Upſaliæ templo ſuum teſtari obſequium, ſolenniaque ex præſcripto legum conſuetudiniſque publicæ præſtare miniſteria ſolebat. Is die aliquo inter ſacrificandum repente capitur luminibus, planeque cæcus redditur. Itaque Deorum juſſus implorare opem, ſupplicatione jugi, ut ſibi viſum reſtituere ne gravarentur, enixiſſime orat. Verum fruſtra, neque quidquam inde auxilii adferri ſibi animadvertit. Quamobrem omni ſpe recuperandæ

valetudinis depoſita, ut erat cœcus, domi tandem continere ſeſe, vitamque miſeram in tenebris tranſigere decrevit. Sed quid accidit? Videt per quietem ignoti vultus hominem, qui eum bono jubet eſſe animo, atque credere in Chriſtum, Dei & Mariæ filium, quando is ſit ſolus qui mederi valeat cunctis non corporis ſolummodo, ſed animi quoque vitiis ac morbis. Neque dubitare potuit, quin hoc ſomnium divinitus ſibi foret immiſſum. Quare relicta ſuperſtitione paganica nomen ſuum profitetur inter Chriſtianos, præceptaq; religionis ipſorum cupit edoceri. Neque mora: ſtatim cum emendatione mentis ſeria, ſecuta quoque corporis eſt, ipſeque viſum priſtinum recepit. Quin & ipſa Suetia hoc admonita exemplo e paganicis tenebris in clariſſimam Chriſtianæ pietatis lucem poſtea eſt vindicata.

III. Ea nocte, quæ celeberimum anteceſſit prælium ad Lipſiam, Guſtavus Adolphus Rex per quietem ſibi viſus eſt cum Tillio luctæ certamine congredi. Dumque alter alterum parat proſternere, Tillium quidem morſu appetitum leviter perſtringere ipſius brachium ſiniſtrum, ſe verò contra capillis capiteque apprehenſum valideque circumactum ad terram affligere Neque aliter evenit. Nam Rex quidem omnes copias Cæſarianas, quibus Tillius præfuit, ingenti proſtravit pugna, at ex Saxonico exercitu, quem conjunctum ea tempeſtatte ſociumq; habuit, aliquos ab hoſte interceptos amiſit.

DE-

DE PRUDENTIA PACIS

CAP. V.

PIetatis ſocia eſt prudentia, quippe quæ ex illa velut fonte oritur. Sane niſi vim ingenii humani metus reverentiaque Numinis inſtruant, eique ducis inſtar monſtrent viam, facile degenerare in vafritiem compertum eſt. Et ipſe ſcriptor ſacer omnes ſapientiæ initium, timorem Dei eſſe, memorabili ſententia teſtatur. Cæterum prudentia duobus temporibus, pacis pariter ac belli conſpicitur. De illa hæc inſignia habemus exempla.

I. Diſa hominis privati villam Wennegarn colentis fuit filia. Ea, cum Sigtrugi regis temporibus, quibus horrenda fame premebatur Suetia, intellexiſſet, actum publico in conventu de remediis illius, nec inventum aliud, quam ut turba inutilis ſervorum maxime dederetur neci, quo cæteris ſuppeterent alimenta, palam haud prudens ſibi hoc conſilium videri profeſſa eſt, & ſupereſſe viam longe meliorem. Quod cum ad Regis perlatum eſſet aures, illeque tuliſſet indigne, tot virorum conſilium unam fæminam damnare, jubet ex templo ipſã ad ſevenire, verũ nec equo, nec curru, nec pedibus ſuis, nec veſtitam, nec nudam, nec interdiu, nec noctu, nec creſcente, nec decreſcente Luna. Puella rem, ut videbatur, plane impoſſibilem adgreſſa tamen eſt hac arte. Servos duos junxit trahæ, in ea collocavit hircum, cujus tergo alterum crurum equitantis more impoſuit, altero ritu ambulantis inſtituit iter, ut nec pedes, nec e-

ques eſſet. Corpus velavit reti piſcatorio, ut nec unda, nec veſtita foret. Ita ſub crepuſculum ipſo plenilunii die Regi ſeſe ſiſtit. Qui miratus ſummum puellæ ingenium, petiit, ut conſilium aperiret ſibi ſuum. Ergo Regem primum ab tam inhumano dehortata eſt propoſito, deinde ſingulis cædi deſtinatis dari ſuaſit manicam frumenti plenam, & ſecurim, & arcum, ſicque mitti ad colendas regiones Septentrioni magis vicinas. Ita namque & incultas ante regiones poſſe excoli, & colonos earum hoc inſigni beneficio reddi fidos Suecis ac innoxios. Quod conſilium non Regi modo, ſed & toti approbavit multitudini, obtinuitque ſingulari eo prudentiæ ſuæ argumento, ut a Rege ſumeretur in conjugium & dein adhiberetur ſæpe in negotiis graviſſimis.

II. Quoniam de feminis incepimus, adjungemus aliam, Ingerdin nomine, Erici ſecundi conjugem, prudentiæ nomine non parum commendatum. Et notatur argumentum ejus memorabile hoc quoque. Venerat aliquando ad maritum Upſaliam Rolfo Rex Weſtrogothorum, virtute bellica tum ante cunctos Septentrionis regulos illuſtris, petieratque ab ipſo filiam Torbergam in matrimonium. Rex Ericus animo elatior, & quod crederet potentia opibuſque inæqualem eſſe, parum grato eum excipit reſponſo, atque ita irritat ad indignationem non profecto mediocrem. Comperit hoc Ingerdis. Itaque in modeſtiam vultu compoſito, quid, ait privatim ad maritum, de Rolfone cenſes? cumque ille reſpondiſſet, videri plane virum eſſe cordatum, præterea plurimis animi corporiſque dotibus haud mediocri-

diocriter inſtructum: illa plures ejusdem ſigillatim memorare virtutes, easque valde attollere, mox parum proprovide dimitti a ſe virum tanti animi, memoremque ultionis ſuo tempore futurum, ſic inhumaniter, exceptum. Neminis contemnendas eſſe, quamvis minutæ videantur, vires, quando illæ quoquo, ſi accedat promptitudo animi, prudentia & virtus, poſſint formidabiles evadere. Quibus verbis obtinuit apud regem prudentia illius factum cautiorem, ut non benignius modo exciperet Rolſonem, ſed eidem quoque filiæ ſuæ polliceretur matrimonium. tandemque præſentiſſimum, quod regno ejus ipſique a Rolſonis invicta virtute animique conſtantia impendebat exitium, feliciſſime averteret.

III. Feminarum quia rara ſunt, primo loco collocavimus exempla, ſequuntur nunc virorum, quos inter principatum velut tenet Ericus tertius. Etenim in eo rara quædam & inuſitata fuit omni tempore prudentia, quam cum alias deinde, tum initio juventutis ſuæ cum adhuc privatus verſaretur apud Frothonem tertium Daniæ regem, eſt teſtatus oratione luculenta, pleniſſimaque prudentiſſimarum ſententiarum, quibus Gœtharum Norvagiæ Regem Daniæ ſuſcepit. Quâ etiam obtinuit, ut ab ipſo illo Gœtharo SAPIENTIS DISERTIQUE titulo honoraretur, qui deinde perpetuum ipſi manſit.

IV. Miris diffidebat modis Olaus Skautakonung Sueciæ, ab Olao Craſſo Norvagiæ rege. Inde bella, & utrinque cædes multiplices calamitateſque, quibus commoti utriusque cives pacem atque amicitiam inter

eos reficere parabant. Sed Rex Sueciæ Norvagiæ regi nimis inſenſus, ne quidem nomen ejus, adeo non pacis cum ipſo mentionem potuit audire. Itaque conveniunt Emundum, Gothiæ Occidentalis Judicem ſupremum. Virum Regi ob multiplices virtutes charum, orantque ut amore patriæ iniret ipſe viam aliquam, qua preces civium ſuorum votaque ardentiſſima Olaus Rex cognoſceret. Ipſe primum detrectare negotium periculi pleniſſimum; poſtremo exoratus, venit Upſaliam, a rege benigne ac humaniter excipitur. Inter cetera colloquia confictis duabus fabellis regi rem obſcurius ſignificat. Quibus per inobſervantiam tranſmiſſis, Olaus ex eo quærit, cujus rei gratia hoc tempore veniſſet? cui Emundus, veni, ut tuam Rex legisque Uplandicæ ſententiam explorem in cauſſa quadam apud nos ambigua, ſicut cras in ſolenni concione populi narrabo. Cum illuc Rex veniſſet die poſtera, & Emundus ſuum juſſus eſſet proponere negotium, ſic coram omni multitudine, quod aperte timet eloqui, explicare adgreditur. Certant, ait, duo inter ſe nobiles ortu pares, fortunis opibusque diſpares de quibusdam fundis, pluribuſque ſeſe mutuo afficiunt injuriis. Ergo res deducitur in forum, cauſaque cognita lite cadit opulentior, damnatuſque reddere egeno, quicquid illi per injuriam eripuiſſet jubetur. At vero ipſe contemta judicis ſententia pro anſere mare dat anaticulam, pro porco porcellum, pro integra auri uncia dimidiam, pro reliqua dimidia lutum & pulverem, & ſuper hæc omnia verbis acerbiſſimis miſerum egenum increpat. Quid hic tibi Rex videtur?

Tum

Tum Olaus, nec injuria, commotus, divitem ex judicis ſententia extemplo jubet integrum egeno reddere, Regi triplum, aut niſi feciſſet certo temporis ſpatio, publicatis bonis omnibus, & dimidia parte fiſco, dimidia actori addictis, regno excedere, ac perpetuum in exilio eſſe. Hanc regis ſententiam ab omni multitudine obſervari jubet Emundus, ac confeſtim concione ſimul atque urbe egreditur. Olaus comperto diſceſſu ejus rem ſecum altius examinat, ſubque his verborum involucris aliud quid ſuſpicatur latere. Quare ad amicos viros prudentiſſimos converſus, quid cenſerent voluiſſe ſibi Emundum? curioſe quærit. E quibus cum intellexiſſet omnia, quantoque in diſcrimine aqud ſuos ob injurias Olao Norvagiæ illatas, violatamque nuptiarum cum filia ſua promiſſarum fidem eſſet, converſus ad conſilia ſaniora, concordiam amiciamque cum Norvagiæ rege fecit, pacemque publicam ſtabilivit. Atque ſic unius effecit prudentia, quod non potuit precibus deſideriiſque ſuis tota multitudo.

V. Sublato fatis Amundo, Gothi nullis cum Suecorum populo communicatis conſiliis regem ſibi faciebant Haquinum Rode. Cum a Suecis interim eligitur Stenchillius, quem utrique præeſſe regno voluere. Contra detrectabant Gothi alium, quam a ſe electum, regem agnoſcere. Agebatur res magnis certaminibus, quibus pene ad civile bellum fuit adducta, dum pars utraque pro ſuo rege nititur. Tandem prudentiſſimo procerum utriuſque gentis conſilio controverſia diremta eſt. Nam cum Haquinus ætatis provectæ ſenex eſſet, ſuaſerunt

runt populo Suecorum, ut pauliſper Gothis cederent, Stenchillumque ſuum ſinerent privatum eſſe, donec imminente fato ſublatus Haquinus, locum illi faceret non Sueciæ modo, ſed & Gothiæ regno. Neque poſſe non exigui temporis moram Stenchillum, ſi concordiæ, pacis & ſalutis civium ſuorum eſſet amans, poſt tot enixas omnium preces perpeti. Placuit cunctis ſaluberrimum conſilium, atque ita regnum utrumque quod in partes divellendum apparebat, pulcherrima conſociatione integrum ſerratum eſt.

VI. Margaretam reginam cives plerique odio habebant ob imperium crudele ac avarum. Quod cum callide intellexiſſet, ſubſidia dominationi quærens, petit ab ordinibus, ut quoniam per ætatem haud valeret ſpes fovere longas, ad cavendos motus ſe viva, & in tempore cogitarent de ſucceſſore idoneo, Ericumque ſororis ſuæ ac Pomeraniæ Ducis filium haberent ſibi commendatum. Hic pars magna procerum partim cognationis Danicæ neceſſitate, partim ſtudio ſervandi promovendique commoda privata, quæ habebant ex agris prædiisve in Dania ſitis, pellecta in Ericum facile conſentit, multaque pro commodo, quod ad omnes ex imperio illius eſſet venturum, in ſpeciem pulchram loquitur. Quibus cum nonnulli vel melius, vel ſaltem animo incorruptiore, magis negotium æſtimantes ſe opponerent, Henricus Archiepiſcopus Upſalienſis prudentiſſime, ac velut prævideret eventum, futurum, inquit, modo, Proceres, ut hæc noſtra diſceptatio diſcordiaque nos conjiciat regnumque univerſum in triſtiſſimam longiſſimam-

mamque ſervitutem. Vidit nempe vir peritus rerum humanarum, eam gentem diu ſalvam non manere, cujus æmulatio privata, privatique ſtudium emolumenti domi animos diſſociet, foris invidos ad gerendam rem accendat. Sane tum non ſub Erico ſolum iſto, verum & qui eum eſt ſecutus Chriſtophoro rege ita depilatum regnum omne fuit, ut ubique calvum miſere nudumque evaderet.

VII. Fuit plane ſingularis in Guſtavo primo prudentia, quod declarant abunde geſta ejus contra Chriſtiernum, & feliciter ejecta tyrannis & regnum libertati ſuæ nitorique pulchre reſtitutum. Neque enim tantæ res ab ab uno, rerum omnium vacuo inopeque ſuſcipi principio, aut comparatis modicis deinde viribus expediri potuiſſent, niſi plurimum conſilio ingenioque ante cunctos valuiſſet. Equidem apparuit ex eo etiam, cum adverſus ipſum velut impiæ religionis auctorem Dalecarli arma cœpiſſent, atque aliquos miniſtrorum Regiorum dediſſent neci, veniſſentque, qui tumultum eorum multis cum querelis Regi nunçiarent. Tunc enim Rex cernens & amorem reliquorum per univerſum prope regnum erga ſeſe maximum, & furorem Dalecarlorum perniciem ipſorummet olim illaturum capitibus, reſpondit: illis quidem jam inſaniendi, ſibi vero ſuo tempore puniendi ſpacium fore. Nempe relinquendam potius putavit ſibi mentis emotæ turbam, quoniam deſtituta capite idoneo in præſens quidem regi nequeat, paulo poſt remittente ferocia præbitura ipſa ſit adverſus ſe occaſiones plurimas. Nec fefellit eum prudentiſſimum

con-

conſilium. Nam brevi interjecto tempore cum neminem contra ſe armatum mitti cernerent, per otium, & rerum privatarum curam alius huc, alius illuc dilapſi fecere, ut improviſos adortus ſine ullius ſuorum ſanguine ab ipſa tumultuantium multitudine prodita factionis capita, & ultro poteſtati ejus oblata meritis poſſet afficere ſuppliciis, quorum accidiſſet nihil, ſi ſe ſuosque temere furioſorum objeciſſet armis.

VIII. Axelii Oxenſtiernæ Regni Cancellarii prudentia incomparabilis non domi modo, ſed & foris, non ſolum ab amicis, ſed & hoſtibus in admiratione ſumma fuit. Quare ab Urbano ipſo Pontifice Romano inter tres civilium ætate ſua rerum peritiſſimos ſolitus eſt numerari. Ac profecto habuit immortalis gloriæ Guſtavus Magnus hunc a primis imperii ſui annis, e cujus ſinu perpetuo depromeret conſilia difficillimis in negotiis, fuitque plane ipſi Axelius, quod olim Auguſto Mecænas. Neque omittebat ipſe hortari monereve Regem, quotiens e re publica eſſe videbatur. Quodam tempore cum in Boruſſia Guſtavus animoſius, pro ignea vi ſui animi, quam cautius, negotium periculi pleniſſimum eſſet aggreſſurus, atque Oxenſtierna dehortaretur eum ab incepto, eventuſq; monſtraret incertitudinem, tum ad ipſũ Rex: tu vero nimis frigidus es ſemper cunctis in negotiis, currentiq; morã injicis. Ad quod ſapientiſſime Axelius: At ego niſi hoc frigore calorẽ, tuũ ſubinde reſtinxere totus olim conflagraſſes. Quo prudenter monuit, virtutem quanto accrior pertinaciorque ſit, hoc niſi conſilior regatur, plus afferre damni, quam emolumenti. Neque

que quidquam adverſum magis prudentiæ eſſe, quam nimiam feſtinationem. Ipſe profecto nullum tempus arbitrabatur amitti, quod adcuratæ negotiorum incipiendorum meditationi tribueretur. Quanquam & ſi res poſceret, capere conſilium ex tempore valeret. Quod ſæpiſſime in eo annotatum eſt etiam a cæteris regni Senatoribus, quorum aliquando ex præcipuis non nemo teſtabatur, inveniſſe illum ſæpius e veſtigio citraque meditationem etiam in negotiis intricatiſſimis viam optimam utiliſſimamque, quam per dies plusculos ex cæteris univerſis.

SOPHISMATA POLITICA

CAP. VI.

HAbet prudentia quandoque vias, a communi tritaque pauliſper declinantes, quibus utitur neceſſitatis tempore, ut conſequatur citius faciliusque, quod non poſſet, niſi multis cum periculis, ſi inſiſteret vulgari. Nempe tam interdum ſui quoque commodi periculoſe ignara pertinaciterque prodiga eſt multitudo, ut eo non niſi arte quadam circumventa, trahi debeat. De qua proinde ſolerter excogitanda, & cum ſucceſſu adhibenda omni tempore ſolliciti fuere viri publicorum negotiorum periti, ut amantes commodorum communium. Neque caruit gens Suetica, qui hac arte valerent.

I. Stenone Sturio in itinere, quod cum Chriſtina Daniæ Regina inſtitueret ad fines regni, morte inopina celerique ſublato, metus erat ingens, ne vacuum Sueciæ im-

imperium denuo invitaret Johannem Daniæ regem ad ſpes novas, atque ſub prætextu conjungendi regna Septentrionis ex pacto veteri ad iteranda bella perduceret. In hoc metu conſtitutis cæteris, Hemmingus Gadd, Epiſcopus Lincopenſis, qui & ipſe ſecutus Stenonem fuerat, ſaluberrimum hoc excogitat conſilium, ut celarent fide taciturnitateque ſumma obitum Stenonis, donec ventum eſſet Holmiam, & res omnes melius componi poſſent. Sequuntur præcipuæ dignationis miniſtri hoc ejus optimum, ut intelligebant, conſilium, Militi ſub pœna capitis præcipiunt, ne divulget quidquam. Addunt ſimul metum alium, fore, ut ſi palam fiat mors Stenonis, omnes urbe arceque regia Holmenſi excludantur atque ita ipſi ſtipendio, quod ab annis aliquot non numeratum eis erat, cogantur carere. Tum eligitur nonnemo Stenoni haud ita multum diſſimilis vultu habituque corporis. Qui pro vero Stenone redit Holmiam, & ab omnibus imaginario obſequio in via honoratur. Interea Hemmingus Gadd clam litteras ad Suantonem Sturium mittit, quibus eum de his omnibus facit certiorem, ac ut ſimul veniat Holmiam comes veluti Stenonis, orat. Res ſuccedit feliciſſime. Venit cum Stenone ficto Suanto Sturius, intrat Holmiam, occupat arcem nemine ſentiente id, quod agebatur. Mox a proceribus regni præcipuis ſubſtituitur in Stenonis locum, proque Stenone imperat, priuſquam quiſquam reliquorum civium, adeo non hoſtium æmulorumve aliquis defunctum eſſe Sturium cognoſceret. Ita ſpes ſucciſa male cupidis, & quies patriæ ſervata eſt per unius Hemmingi callidum conſilium.

II. Facit mentio Stenonis hujus, uti recordemur ſophiſmatis, quod & ipſe initio imperii adhibuit. Cum enim gubernator regni ab ordinibus electus eſſet, agreſtium nonnulli, ſeu libidine contradicendi cæteris, ſeu cauſſis aliis pellecti detractabant in imperium ipſius conſentire, ſed de Rege alio cogitatutos ſeſe jactitabant. Nolebat Steno ſub initium imperii venire ad civile bellum, cum & parum honorificum hoc ſibi cerneret futurum, ſi tam triſti uteretur exordio, & periculoſum propter non ſolum animos multitudinis mutabiles in horas, ſed & vicinos imperio Sueciæ avidiſſime inhiantes. Quare cenſuit utendum arte, qua & agreſtes illos traheret in partes ſuas. Cæterum prudenter apud animum perpendens ſuum, nihil vulgo eſſe gratius, quam res voluptati gulæque ſervientes; copiam bene magnam cereviſiæ optimæ ex vicinis Germaniæ locis advectæ dividi juſſit inter eos; atque iſtoc eis argumentum velut bonitatus liberalitatisque ſuæ offerri. Neque caruit eventu proſpere conſilium aſtutum. Capti & liberalitate Stenonis prorſus inopina, & cereviſiæ bonitate ruſticorum animi, nihil porro ſeorſim deliberarunt, verum, ſua ſuffragia ſuffagiis reliquorum amiciſſima concordia ſociavere.

III. Memorabimus & callidum Caroli Canuti regis, quod Stenoni dicto dedit, conſilium. Cum namque is jam olim proprio didiciſſet malo, exiſtere plurimos, qui ob imperium ſuperbe, avare, ac crudeliter a plerisque regibus, ex vicinia deſumtis inde ab Alberto usque ad iſta fere tempora geſtum, amarent nimis liber-

tatem, odioque contra haberent nomen regium, ut quæcunque fierent etiam a bono principe in uſus publicos, ſi eſſent paulo difficiliora, velut crudelia tyrannicceque traducerent & deteſtarentur, vicinus morti ad ſe Stenonem Sturium accerſivit, multaque cum eo & de ſucceſſore, & de gubernationis ratione locutus, poſtremo hoc optimum ac ſaluberrimum ſe ipſi relinquere conſilium dixit, ut cum ſciat nomen regium tam inviſum factum apud pleroſque, ſi ad regnum fuerit vocatus, ad id uſurpandum nomen nulla trahi ſeſe ſinat ratione, ſed repudiato ipſo, Gubernatoris titulum aſſumat. Fore namque, ut hac libertatis ſpecie objecta cives amantiores ſui atque obſequentiores multo ad imperata habiturus ſit. Fecit ita Steno eventuque proſperrimo didicit, vocabulis facilius, quam armis capi multitudinem, imperiumque per ſe gratum, ingratum ejus titulum corrumpere, gratum conſervare.

IV. Quæ hucusque tradidi, ad publicum ſpectabant commodum, ſophiſmata: illud ad privatum, quod nunc ſubdo. Præceperat Rex Carolus, Guſtavi Adolphi pater, quodam tempore nonnullis equitum vexillis, ut ad abitum ſe pararent, in Livonia deinceps militatura. Quod ut rectius exequerentur, ſingulis equitum certam deſtinaverat pecuniæ, farinæ, hordeique ſummam, à præfecto rei frumentariæ ipſis numerandam. Erat ille lucri ſui, quam imperiorum regiorum obſervantior, ideo ex imperata ſumma non profecto parum detrahit cuilibet. Id callide ſubodoratus equitum nonnemo, qua Regi arte furtum præfecti proderet, ſtudioſe prorſus

ſus apud ſuum animum verſabat. Poſtremo tale quidpiam comminiſcitur. Solebat Rex quotidie matutino tempore paucis comitantibus exire in navalia proxima, ibique fabrorum ſpectare diligentiam. Via erat tum vicina flumini præterlabenti. Ergo eques circiter id tempus deſcendit in aquam, hordei pauxillum in eam conjicit, ſimul ſtipite hùc illucque verſet, diligenter operi ſeſe ſimulans intentum, Quem ut agitantem fluminis aquam vidit Rex tum ex more præteriens (& erat alias Regi non ignotus eques) mittit ex ſatellitibus, qui ex eo quæreret, quid ibi negotii tanta cura tractaret? Eques tanquam importuna illius interpellatione commotior, ſtulte, ait, annon cernis, coquere me cereviſiam; hocque reſponſo ſatellitem a ſe dimiſit. Qui cum ad Regem eſſet reverſus reſponſumque equitis expoſuiſſet, Rex multo magis accenſus inſolito hoc & ſpectaculo, & reſponſo, miſit denuo, qui juberet eum ſerio exprome-re, quid eſſet rei, quod ageret in flumine. Tum eques: Injunctum nobis eſt a Rege, ut peregre abeamus in Livoniam, ad id iter accepimus hordei pauxillum, & lupuli, quod cum, ut facile ipſe æſtimare potes, nobis nequeat ſufficere ad potum, id hic projicio, & in ipſo flumine cereviſiam mihi coquo, ut cum decurrat in mare; quod eſt ſuperandum nobis, toto itinere habeam vel ex aquis cereviſiam mihi, atque potum. Quod reſponſum cum Rex cognoviſſet, equitem ipſum ad ſe jubet venire, quantumque eſſet hordei, quod accepiſſet, pronunciare. Cumque ille rem ſimpliciter prodidiſſet, ſumma Rex accenſus ira jubet ad ſe adduci rei frumenta-

riæ præfectum. cumque, cum objecta diluere non poſſet, ad patibulum furcamque condemnat. Fuiſſetque laqueo ſuſpenſus, niſi multorum magnorum virorum precibus Rex hactenus eſſet mitigatus, ut vitam quidem ei condonaret, cæterum ab officio remotum, omni deinceps exueret dignitate. Ita callidum unius manifeſtavit commentum, quod intra conſcientiam plurium metus potentiæ majoris inanibus cum lamentis occluſerat.

ACUTE ARGUTEVE DICTA.

CAP. VII.

PArs eſt non exigua prudentiæ, aliorum animos reconditæ ſignificationis, aut inopinatæ acrimoniæ dicto aliquo ex tempore prolato veluti perſtringere. Certe nullis aliis hoc datur, quam quos indulgentia peculiaris naturæ cum judicii diſcretione vim ingenii acerrimam, & promtiſſimam facilitatem conceſſit.

I. Inciderat in Johannis Archiepiſcopi ac quorundam aliorum grave odium Carolus Canuti, non tam ſuo aliquo facinore, quam quod circumſpecte minus eorum uſus eſſet miniſterio, qui avaritia perfidiaque paſſim in plebem innoxiam, & quoscunque tandem obtuliſſet occaſio, miſerrime graſſabantur. Itaque rebus ſuis parum fidens decernit præſens ſubterfugere periculum, & e patria in exilium abire. Stabat navis parata in littore, Gedanum iter factura. Quam dum conſcendit, quidam ex præfectis illis, quorum culpa maxime venerat in invidiam; numquid rerum aut negotiorum tuorum hic es oblitus? Ad quem converſus Carolus

ſal-

ſalſiſſime: Nihil equidem magnopere, niſi hoc unicum, quod te ſociosque tuos non juſſerim in tempore patibulo ſuſpendi. Videlicet cum in ipſis ſcelera, tum in ſe indulgentiam hoc dicto argute natabat, cujus utriusque cauſſa evenerit, quod exire regno cogeretur.

II. Memoratur aliud ejusdem elegans & feſtivum reſponſum. Erant nobiles nonnulli genere origineque magis, quam animo virtutibusque, qui adſpiciebant ægris oculis ſucceſſus diligentiorum opulentiamq;, cum conſumtis ipſi bonis, nullisque admoti publicis muneribus ex adverſo rebus etiam neceſſariis eſſent deſtituti. Igitur Canutum adeunt, prolixeque de conditione ſua apud eum conqueruntur. Eſſe ortos ſe illuſtri ſanguine, ſed per caſus varios ad pauperiem redactos; ac propterea majorum dignitatem parum poſſe tueri. Proinde fas æquumque ſe cenſere, ut neceſſitati huic ipſorum in tempore ſuccurrat, neque merita majorum per oblivionem absque gratia oblitterari patiatur. Ad quod Carolus, ſe nullum melius in præſens excogitare conſilium, quam ut dent operam, ne pedes ultra ſtragula protendant. Quibus verbis ſalſe latenterque tetigit eorum luxum, per quem prodigebant opes a majoribus quæſitas, ſimulque oſtendit, habituros ſatis, ſi pro modo facultatum ſumtus facere conſtituent.

III. Æque ſcitum eſt, quod de Johanne tertio, adhuc juveme commemorant. Ablegaverant Revalienſes ad Guſtavum primum Oratores cum litteris, quibus opem ejus contra Moſchas per univerſam tum Livoniam crudeliſſime graſſantes implorabant. Regis

nomini adſcriptus erat titulus Illuminatiſſimi Germanica lingua, cum eo tempore Celſiſſimum nuncupari moris eſſet. Itaque Johannes Princeps indignatus Patri Regi a civitate una, eaque tum magnis conſtituta in neceſſitatibus, & tantum non ſupplici ambitioſius, quam fortunæ illius præſenti conveniens erat, ſcribi ad legatos illos: Regis Guſtavi nomen non eſſet tam obſcurum, ut a Revalienſibus illuſtrari neceſſe habeat. Quo verbo & honorem patri Regique ſuo debitum pulchre vindicavit, & Revalienſes intempeſtivæ ſuperbiæ ſuæ decenter admonuit.

IV. Captus a Johanne fratre Rex Ericus, & ad eum adductus cum deberet cauſſas dicere, quibus commotus tot virorum innocentium cædes, aliaque multa crudelia, & iniqua, & nomini regio indigna plane commiſiſſet, inque tantas calamitates univerſam præcipitem dediſſet patriam? Ericus varia reſpondit purgandi ſui gratia. Quæ cum Johanni viderentur, ſicut forte fuerant, parum apta vel convenientia, tu vero, inquit, mente captus es, & deliras. Ad quod Ericus multa cum acrimonia: vere dixeris me fuiſſe mente captum illo tempore, quo te e manibus cuſtodiaque mea liberum dimiſi. Certe dicto iſto & ſuam eleganter reprehendit imprudentiam, quod perſuaderi ſibi paſſus fuerit, amicum nunquam ſeſe habiturum eum, quem tam graviter offendiſſet: Et ipſum conditionis prioris tacite admonuit, ut viciſſitudinem fortunæ cogitaret, nec præter æquum humanumque quid decerneret in ipſum, quemcun-

cunque nunc, fratrem tamen ſuum, neque ita multo ante dominum ac regem.

DE PRUDENTIA BELLORUM CAP. VIII.

PRopria propemodum Suecorum eſt armorum belliquе prudentia, quippe qua jam inde ab initio, cum primum orbis veniſſent in notitiam, ad hunc diem celebres clarique extiterunt. Igitur illius aliqua hic etiam apponemus exempla.

I. Sed quæ tandem ante ea, quæ a Guſtavo Adolpho prodita, etiamnum in memoria plerorumque verſantur? Nemo eſt profecto, qui hac parte ipſum ſuperavit. Jam primum omnium quam illud ejus factum prudens, quod cum veniſſet ad imperium undique hoſtibus circumdatum (nam & Danus, & Polonus, & Moſchus juxta id invaſerant) cum cæteris quidem pacem fecerit vel inducias, cum Poloniæ vero Rege, quocum de titulo regio, ipſoque imperii jure litigandum eſſet, bellum totis viribus decreverit urgere. Neque minus circumſpectum callidumque, quod id bellum a regni ſui finibus in terras ipſas tranſtulerit hoſtiles, ſicque animum demſerit adverſariis, ſuis addiderit. Quale quid & in Germanico ſuſcipiendo bello cogitavit, neque expectandum ſibi, donec Wallenſtenius cum claſſe non titulum nomenque modo domini, ſed ipſum etiam imperium Maris Baltici ſibi vindicaſſet, arbitratus eſt. Neque poſſumus nunc conſectari ſingula, quæ ſunt innumera. Illud absque dubio prudentiæ omnino ſingu-

laris fuit, quod non pauca in militia mutavit, & in melius correxit, aut de novo plane adinvenit. Primus ſane fuit ipſe, qui pedites cum bombardis majoribus impoſuit equis, illudque genus eduxit in aciem, quod deinde dragonarios vocarunt, ut ſic & celeritatem equitum & vim peditum ingenioſa hac mixtura in iisdem conſequeretur. Item cataphractas, quibus olim propter pondus impedita fuit omnis equeſtris militiæ utilitas, abolevit; ſuosque aut prorſus nullis, aut certe ſolum thoracibus ferreis cum galeis munitos docuit pugnare. Haſtas quoque longiores equitibus ademit, ut ad rem difficiliorem expediendam parum idoneas, earumque loco bombardas e loro ſuſpenſas in collo juſſit habere. Cumque ſint incerti ſclopetorum ictus, niſi e propinquo, ſuos non eminus emittere globos, ſed imperterritos adequitare hoſtes, neque ante ſclopeta voluit exonerare, quam pupillas oculorum in ipſis poſſent diſcernere. In pedite quoque capſulas ligneas, quas pulueris nitrati plenas geſtare olim plurimas e faſcia coriacea in humero conſueverant propter ſtrepitum ex colliſione capſularum, & cauſſas alias improbavit, ſuis vero tribuit peras a latere geſtandas, & in iis quantum pulueris nitrati globorumque plumbeorum ſufficeret, in tubulos papyraceos diviſum. Furculas etiam, quibus bombardas graviores tum ſuſtinebant, tanquam ſupervacuas abſtulit, & minores levioresque factas explodere absque tali adjumento juſſit.

II. Licebit ſpero, antequam ad te veniam, pace tua Guſtave prime, Carolum Guſtavum memorare,

Quem

Quem enim ille non magnorum etiam apud veteres Ducum, etiam eorum, quorum celeberrima ſunt nomina, æquavit ſaltem, ſi non ſuperavit, prudentia bellorum? Et docuerit vel unicum ad Warſaviam prælium commiſſum cum Polonis, quo tot hoſtium conatus impetusque nunc ab hac, nunc ab illa parte in loco ſibi iniquiſſimo providere, cunctisque in tempore occurrere, ne ipſi quidem rariſſimæ prudentiæ ſpecimen non agnovere. Pertinebat huc præſertim illa acie frequentiſſima mutatio, dum modo ſylvis obſtantibus dividendæ copiæ, modo adſultante a tergo, a latere hoſte in partes omnes vertendæ, modo pro viarum ratione, aut conſiliis adverſariorum producendæ in longum, modo extendendæ in latum eſſent. Quibus cauſſis cum evenire alias conſueverit, ut ordo perturbetur, CaroloGuſtavo adeo id fuit facile, ut non de ſe ſolummodo, ſed & ſociis ſollicitus eſſe poſſet, illorumque conatus non minus, atque ſuos proviſione, conſilio, ope ad poſtremum tempeſtiva, & ſubſidio ſubmiſſo adjuvare. Ut appareat, nihil arduum circumſpectioni ejus, ac divini vi ingenii fuiſſe.

III. Sed ad te nunc veniendum Guſtave prime. Tua quippe ſingulari etiam in bellis prudentia regnum univerſum ab hoſtibus Suecorum nomini infeſtiſſimis, ipſaque immaniſſima Chriſtierni tyrannide pulcherrime liberatum eſt. Eadem, quicquid tuis obſtitit conatibus plus, quam arma ferrumque, citius profecto ſemper vicit, atque ſuperavit. Et habemus ſpecimen egregium Aroſiæ exhibitam. Convenerat in illa urbe hoſtium vis magna, ex Danis maxime collecta, rejectura,

vel moratura ſaltem tuum cum Dalecarlis adventum. Adverſus quos tu adhortatus tuos magno animo contendis. Fit prælium acerrimum, in quo Dani ſuperantur. Victores Dalecarli urbem occupant, & ut fit, circumſpectant prædam. Pars non exigua impetum in cellas cereviſiarias vinariasque facit, poculisque ſe ingurgitat. Quod cum comperiſſes, quantumque ex intempeſtiva illa non ſecuritate modo tuorum, ſed & ebrietate univerſo exercitui patriæque damni accidere poſſet, prudentiſſime ſpeculatus eſſes, ipſe cellas iſtas ingreſſus, tua dextra, tuo proprio enſe circulos doliorum ligneos diſſecuiſti, pariaque facere miniſtros juſſiſti tuos, ut ruptis doliis profuſoque vino cereviſiave defectus ipſe ſobrios & de ſalute ſua ſollicitos magis ſervaret. Ac profecto niſi mature hoc conſilio princeps cautiſſimus ſtolidiſſimæ ſuorum ſecuritati obviam iviſſet, hoſtis denuo conglobatus victorem exercitum, verum jam a vino cereviſiaque victum penitus deleviſſet. Nunc unius Guſtavi prudentia non victoriam modo peperit, ſed & vim ac perpetuitatem illi adinvenit.

IV. Eſt & Engelberti memorabilis prudentia in eo, quod cum crudelitate avaritiaque exterorum tempore Erici Regis geſſit, bello. Nam poſt multa alia cum deprehendiſſet ſapienter, mali publici ſedem quaſi domiciliumque eſſe tot per regnum univerſum arces, quas tenebant cum manu militari homines pro libidine cupiditateque ſua ſtatuentes quidvis in multitudinem inermem juxta & innoxiam, & unde per occaſiones quaslibet haud ſecus, ac latrones impetum in circumjectos

face-

faceren agros, indeque prædas cogerent. Ante omnia ipſa illa ſervitutis omnium fœda inſtrumenta diruere propoſuit, illaque latronum latibula evertere, quo ſublatis illis malorum receptaculis, negataque ſceleri impunitate tutior libertas eſſet. Succeſſitque illi hoc conſilium egregie, incendio deletis plerisque iſtis arcibus per univerſam Suetiam tempore breviſſimo. Nam privati eis deinde inſidiatores libertatis publicæ fiducia longe minori rem gerere. Contra multitudo ſe ſuaque animoſius, quam unquam amte, tuebatur.

V. A meditatione veterum exemplorum, ad recentiora tempora me vocat Johannes Bannerius, quippe cujus non fortuna virtusqve magis, qvam circumſpectio prudentiaque militaris pridem Germaniæ, imo Europæ univerſæ clariſſime innotuit. Et en pulcherrimum illius exemplum. Tota eum aliquando vis exercitus Cæſariani & Saxonici prope Torgaviam, Miſniæ urbem, deprehenderat, eratque ita cinctus undique cum ſuis, (ut palam jactarant hoſtes, ſe tenere clauſum tanquam in ſacco Bannerium, neque ullam ipſi rationem elabendi relictam eſſe. Verum nihil circumſpectioni Ducis vere prudentis clauſum eſſe poteſt. Per id ipſum, quo putatur captus, viam invenit ad libertatem. Banerius profecto, fluminis Oderæ, quo velut laqueo teneri credebatur, vadum tranſire, quod per ſuos exploratores cognitum habuerat, decrevit. Quod ut faceret ad alia converſo hoſte, mittit Johannem Haderslebium cum ſuorum manu valida, qua adoriretur eum, ſimulque faceret ſuſpicionem ſecuturi mox exercitus univerſi. Dum ergo

ergo totis viribus eo contendit hoſtis, in itinere occupatum Bannerium levi negotio profligaturus, idque Bannerius intelligit, ipſe alia via pertendit ad prædictum vadum, & prope Gœritzium inter Francofurtum & Cuſtrinum cum univerſis copiis in conſpectu, ipſisque adeo oculis totus hoſtium exercitus verum longius ab eo, ab Haderslevis detenti Oderam trajicit, nec ſuorum quenquam amiſit. Unde poſtea Bannerius jocum joco ultus, habuiſſe quidem Cæſarianos Bannerium in ſacco, verum ſacci os concludere oblitos eſſe ferebat. Certe quod nequiverat ferro adverſus longe ſuperiores hoſtium copias, conſilio ſingulari ac prudentia ſeque, & exercitum a præſentiſſimo exitio incolumem pulcherrime ſervavit.

VI. Fuit pariter & in Guſtavo Hornio prudentia rerum militarium eximia. Quod abunde docuit conſilium, ante luctuoſum ad Nordlingam prælium Vinarienſium Duce Bernhardo datum. Cum enim is deliberaret, an cum hoſte congredi aperta acie non foret utile cum ad famam, tum ad liberandam ab obſidione urbem ſociam & amicam: ſemper ſibi Hornius diſplicere prælium oſtendit, quia ſine eo per cunctationem quoque ſolam adverſarii rerum omnium neceſſariarum inopes debellari, aut in fugam agi poſſent. Cui conſilio ſi parere Dux Bernhardus voluiſſet, & ſervatus pulcherrimus exercitus, & citius aliquanto confectum in Germania bellum fuiſſet. Nunc eventu infelici prælii redactus Hornius in poteſtatem hoſtium, ne ſic quidem a prudentiæ militaris requievit exercitio, verum repetens memoria res ante actas, & quæ magiſtra experientia didiciſſet

ciſſet, in animum ſibi revocans in ipſo carcere captivus Ducis perfecti munus ſcripto pulcherrimo complexus eſt.

VII. Omiſeram propemodum, qui pridem memorari debuit, Jacobum de la Gardie, imperatorem peritiſſimum. Quem bellandi arte ac prudentia extitiſſe ſingularem prorſus ac eximium, ſi non multæ magnæq; res illius, ipſaque omnis ſubacta pæne Moſcovia teſtarentur, ſuo tamen comprobare, quamvis unico ſuffragio, Rex Guſtavus Adolphus poſſet. Is enim cum alia multa in Jacobum honorifica ſubinde proferre ſolitus, tum id quoque non ſemel in præſentia plurimorum de eo profiteri, omnem ſe bellandi artem, quantacunque foret, magiſtro atque præceptori unico Jacobo de lã Gardie debere. Quod de prudentia Jacobi arteque teſtimonium ita demum recte intelligetur, ſi res a Guſtavo Adolpho geſtæ propius inſpicientur. Nam cum ſint inuſitatæ prorſus magnitudinis, liquet profecto, quanta fuerit inſtructus arte magiſter, qui efficere tam clarum omnique laude bellica æſtimatum potuit diſcipulum. Quin imo & hoſtes ipſi hanc Jacobo ſemper tribuerunt laudem, Moſchi præcipue ſeu Ruſſi, quos virtute ita perculit, ut inter maxime formidabilia vulgo quoque nomen ejus memorarent. Quod ſi forte mercimoniorum gratia veniſſent Holmiam, ipſas etiam Jacobi ædes nihilo ſecus, atque Martis alicujus templum ſive domicilium aperto ſubmiſſoque capite inter prætereundum colere ac venerari conſueverunt, adeo & ipſi, hanc virtutem ejus æſtimabant.

VIII.

VIII. Teſtimonium Guſtavi efficit, ut & Torſtenſonium nunc memoremus. Nam & hic ab ipſo ſemper habitus pro ſcientiſſimo fortiſſimoque duce. Singulare hoc eſt, quod ſubjicio. Sublato e vivis Johanne Bannerio, gravis longeque in Senatu regni fuit deliberatio de idoneo ipſius ſucceſſore: poſtremo nominatus eſt Linnartus Torſtenſonius conſenſu magno omnium. Quare mittuntur, qui hanc voluntatem aperirent ipſi, atque in Senatum accerſerent. Ægrotabat forte Torſtenſonius articulari morbo, propterea tum ſtatim onus hoc deprecabatur. Interjectis aliquot diebus cum quadamtenus convaluiſſet, venit ipſe, pluribusque monſtrat ſui corporis infirmitatem, viresque per aſperrimos militiæ labores, quos pertulerit a teneris, exhauſtos, poſtremo tam inutilem ducendo exercitui, reſtituendisque rebus per Bannerii diſceſſum aliquantum collapſis ſeſe adſeverat, ut per neminem perdi citius neceſſe ſit, quippe qui cum morbis frequentiſſime conflictetur. Videbatur permanſurus iſta in ſententia, neque auditurus preces cujusquam. Ad poſtremum pluribus elapſis diebus iterum ad ſe evocatum hortantur orantque Senatores cæteri, cumque obfirmato animo negaret virium ſuarum eſſe hoc negotium, tum Axelius Oxenſtierna quandoquidem animadverto, noſtras nihil apud te valere preces, ſaltem regis Guſtavi Adolphi perſuaſurum tibi ſuffragium confido, quod nos non poſſumus. Noviſti abunde, quid de te ſemper judicaverit, quam de te fuerit ſollicitus, cum captivus eſſes apud hoſtem. Memoravi ante tibi verba ejus literis

teris ad me expreſſa, quibus ſpeciatim mihi dedit in mandatis, ut Lennartum ſuum, quibus poſſem modis e captivitate quærerem liberare. Se namque ipſum ſcire talem, qui vel ſolus integrum ſciat regere exercitum. Non potes vocare in dubium hoc regis tanti judicium, nec tergiverſatione diuturniori eludere irrutumve facere. Quam ad vocem reſumptis novis velut viribus Torſtenſonius: Fiat igitur voluntas Dei Reginæque meæ. Atque ita ſe ad iter in Germaniam adcinxit, regisque incomparabilis de ſe judicium non æquavit ſolum rebus maximis clariſſimis que deſtis, ſed & ſuperavit atque ſua Torſtenſonius non a Adolpho ſolum, ſed & aliis quamplurimis inſigne teſtimonium. Turainius præcipue Gallorum dux non modo per Germaniam, ſed & regiones alias longe celeberrimus, neminem alium potiorem artium bellicarum ſe agnoſcere magiſtrum, etiam cum ambitione quodam dictitare ſæpius conſuevit. Et habebat circa ſe Mortaigne quendam, veterem Torſtenſonii militem, qui plurimis ejusdem conſiliis interfuit, multaque ductu ejus laudabiliter confecit. Cum hoc perpetuo diſſerere de rebus Torſtenſonii Turrainius, coram ipſa inſpicere loca, per quæ ductaverat exercitum, conſiliorum cauſſas rationesque ſpeculariò, perum militarium diſpoſitiones, ſuc ceſſus, èffecta explorare, ac id genus alia prudentiæ militaris haurire ſolebat. Neque quidquam profuiſſe ſibi plus ad comparationem artis ſolidæ ultro profitebatur. Adeo non ipſe ſolum Torſtenſonius, imperator fuit callentiſſimus, ſed & alios ſolo etiam exemplo ſuo imperatores maximos effecit. X. Poſ-

X. Poſſemus his non paucos alios adjicere viros longinquo per Germaniam bello clariſſimos. Quos cunctos tantum ſemper valuiſſe conſilio, quantum quisqu m laudatiſſimorum quoque valuit apud veteres Græcos Romanosve belli duces imperatoresque, nemo dubitare poteſt, niſi qui de fama publica, deque ipſorummet hoſtium ſpontanea confeſſione poteſt dubitare. Quam ſi premeret vel corrum peret invidia, tamen ipſa rerum geſtarum magnitudo luculenter publicaret. Niſi forte tantas res abſque aliqua prudentia, per cœcum impetum adminiſtrari potuiſſe vel arbitramur ipſi, vel adſeveranti credimus. Sed nos hæc copia compellit ex ſe aliqua omittere, ne hiſtoriam ſcripſiſſe potius, quam exempla memoraſſe videamur.

DE STRATAGEMATIS

CAP. IX.

DAbimus hoc capite prudentiæ militaris regulas communes egreſſæ nonnulla exempla, unde conſtet, etiam calliditate iſta, qua bellorum furta, ut Latini nominant, ſeu ſtratagemata, ut a Græcis nuncupantur, expediri ſolent, non modo, non inferiores aliis populis, verum multo ſæpe ſuperiores Suecos extitiſſe.

I. Sigarum Daniæ regem ob cæſos duos fratres, tertium vero captum, atque ignominioſe affectum ſupplicio petebat armis Hacho Rex Gothorum. Sed quod imparatum ſtatuiſſet opprimere, via contendebat non uſitata, in Daniam cum ſuis, verum per montes altos, ſyl-

ſylvasque profundas. Cum jam immineret Regiæ Sigari in Sialandia, jubet ſuos arborum reſcindere ramos, eosque manibus præſe ferre. Ita factum, ut inter illam ramorum quaſi ſylvam latitantes a vigilibus conſpici haud poſſent, ſed contra ſpeciem præberent ipſius ſylvæ ſub loco motæ, paulatimque adventantis. Cujus rei miraculo Sigarus ipſe commotus (neque enim quidquam de Gothorum armis ante cognitum habebat) primum ambigit, quid eſſet, mox veritus inſidias, paratos ſuos eſſe jubet. Verum fruſtra, quando improviſo hoſtium adventu conſternati omnes facile ſuperantur, Sigarusque ipſe cum plerisque ſuorum interficitur.

II. Tempore Birgeri regis limites Sueciæ invaſerant exercitu infeſto Moſchi Careliique. Tuebatur eos juſto cum exercitu alio terreſtri navalique Torchillus Canuti ſummus militiæ per Sueciam præfectus. Claſſem in primis validam centum navium & undecim habebat. Quam ut conatibus ſuis maxime officientem hoſtes paraverant accendere,[1] ratibus elaboratis, quas pice, ſarmentis, aliaque alendo igni apte materia compleverant. Senſit callide hoc conſilium eorum Torchillus. Igitur ſuis præcipit, ut confeſtim tempore nocturno, nemineque ſciente, ſudes præacutas defigerent circum claſſem ſuam in flumine, ſic ut nihil ſuper aquam extarent, frusque in occulto maneret. Cum ergo accenſas rates verſus claſſem Moſchi concitaſſent, omnes ad ſudes iſtas obhæſere; atque ita ſine ullo claſſis Sueticæ damno, magna cum irriſione hoſtium conflagrarunt, claſſisque univerſa in terrorem eorum conſervata fuit.

III. Holmiam obſeſſam premebat vehementer Guſtavus primus cum ferro, tum inopia rerum neceſſariarum: cui proinde ſuppetias ferre Thomas quidam arcis Aboënſis præfectus quærebat, collectis navibus completisque omni rerum copia. Ventum erat ad anguſtias maris, quas appellant Funiſund. Ibi Thomas veritus, ne lateret hoſtis, præmittit navigium explorandi gratia. Quod Ericus Flemming Prætor claſſis Guſtavianæ, quæ poſt vicinum in occulto ſtabat promontorium, celeritate ſumma excipit, hoſtibusque captivis in naves diviſis occupatum ſuis complet militibus, obviamque hoſti mittit, velut proſpere omnia fuiſſent confecta. Igitur cum navigium a ſe dimiſſum Thomas procul cerneret, nihil doli ſubeſſe ratus, deſcendit ipſe in ſcapham, & ad navem ire properat. Mox advectus, quærit, quo ſeſe pacto cuncta haberent. Illi tuta eſſe omnia, nec usquam comparere hoſtem. Quare pergit e ſcapha tranſcendere in navigium. Sed inter adſcendendum intellecta fraude, parat reſilire ad ſuos in ſcapham. Verum apprehenſus ab adverſariis, conjectusque in vincula, quicquid navium habuerat & commeatus, intercipienti Flemmingio relinquere coactus fuit.

IV. Memorabilis & Petri Fredagii eſt calliditas. Tenebat nomine Guſtavi primi Holmiam obſeſſam copiis non ita magnis. Quod cum reſciviſſent oppidani ac præſidiarii, ipſo Novi anni feſto die nihil tale opinantem ſcaphis pluribus ac armatis mille quingentis opprimere parabant. Id Petrus per exploratores ſuos cognitum

tum habebat. Quare certis intervallis per ſylvas circumjectas ad caſtra usque ſua diſponit, qui, ut primum egredi in littus vidiſſent hoſtes, cornua inflarent atque tubas, initio viciniores caſtris, poſt remotiores quoque. Cum ergo hoſtes appuliſſent littori, ac in deſcendendo eſſent occupati, undiq; fit ſonus tubarum a Petri militibus. Quæ res cum præberet ſpeciem magnarum copiarum undique adventantium, hoſtibus ingens incuſſus eſt pavor. Mox Petrus Fredagius conjectans callide occaſionem rei gerendæ adverſus terrefactos, cum quingentis lectiſſimis ſuorum erumpit, hoſtesque incertos ſtatim conjicit in fugam, ducentos interficit, cæteros in urbem magna aum infamia refugere compellit.

V. Pulchrum etiam eſt Jacobi Bagge commentum. Johannes comes ob Hoija cum ſuis copiis acceſſerat Halmſtadium, quod tenebat nomine Guſtavi primi cum valida præſidiariorum manu Jacobus, vi expugnaturus illud. Erant omnia parata oppugnationi, & jam impetum facere miles comitis debuerat, cum Jabobus ænea tormenta quædam vetera, nec alias utilia juſto plus onerata jubet explodi contra procul adventantes. Quibus (quod voluerat Jacobus) ruptis & in parte plurimas disjectis, oppugnaturi facti ferociſſimi, velus jam actum eſſet de oppido, confertim absque circumiſpectione adcurrunt. Tum vero Jacobus exonerari jubet tormenta alia, & idoneis collocata locis, quibus ex nec opinato ſic excepit oppugnantes, ut plerique occumberent, cæteri vulnerati cum dedecore ſummo deſerere oppugnationem cogerentur.

D 2 VI. In-

VI. Ingenioſius illud Gabrielis Oxenſtiernæ. Arcem Revalienſem pro Johanne rege tenebat, cum Nicolaus Kurſelius equitum præſidiariorum præfectus, & non nulli alii a Magno Holſatiæ duce movere ſeditionem, ſtipendia efflagitare ſua, & quoniam ſciebant nullam in promptu pecuniam, eo compellebant Gabrielem, ut arcem ſub titulo pignoris, revera pro Holſatiæ duce, ad diem Pentecoſtes proximam permittere Nicolao cogeretur, exacturus interea pecunias apud regem. Servabantur in arce captivi, Laurentius Siggenis Suecus, & Chriſtianus Ançlam. His conſpirantibus dat pecunias Gabriel, ut ex compoſito luderent alea nocte diem Paraſceves antecedente, mox de lucro lite mota convenirent de pecuniis in vinum impendendis & ad ebibendum illud ſimul præfectum vigiliarum, & quotquot poſſent, invitarent. Interea is idem Gabriel clam adeſſe jubet Nicolaum Dublare, cum militibus trecentis ad muros arcis & invigilare occaſioni. Res feliciter ſuccedit: Pecunia dicta tantum vini emtum epotatumque, ut præfectus vigilum & plerique omnes inebriati eo, hic illic jacerent ſimiles mortuis. Tum vero Laurentius & Chriſtianus per cloacam foras extra muros arcis projectam Nicolaum cum ſuis per ſcalas funibus contextas enitentem immittunt, a quibus obvii pauci cæſi, cæteri vino ſomnoque ſepulti ac inermes capti, arx ipſa denuo in poteſtatem regis Johannis redacta eſt. Ita dolus dolo ſuperatus fuit, quique pecunia ſe corrumpi paſſi erant ab una parte, ii dem ab altera corrupti vino, perfidiæ ſuæ meritas dedere pœnas.

VII. Cum

VII. Cum rex Daniæ Chriſtianus quartus obſeſſam haberet Calmariam, Suecique hoſtis ad alia vertendi cauſſa per Scaniam pluribus vagarentur copiis, & Chriſtianopolim usque intuta facerent omnia, Præfectus Danici præſidii, quod in oppido dicto fuit, litteras ad regem ſuum mittit, quibus concedi ſibi orat equites quingentos, ad coërcendas cum ipſis hoſtium direptiones. Eas litteras cum intercepiſſent Sueci, mittunt ad regem Carolum, qui utendum commoda occaſione ratus confeſtim filium ipſum Guſtavum Adolphum cum quingentis jubet illuc contendere, ac ſi poſſent nunimentum illud occupare. Guſtavus Adolphus adoleſcens adhuc ætate, animo vero gerendis rebus abunde maturus negotium commiſſum ſibe arte aggreditur. Suos omnes habitu Danico ornat, ſignat quoque Danica præ ſe jubet ferre atque ita ſpecie Danorum urbi munitæ appropinquat. Cujus præfectus adeſſe ratus eosdem, quos auxilii gratia accerſiverat, equites a Danorum rege ſibi miſſos aperiri portas jubet: Ita Guſtavus Adolphus nemine obſtante urbem invadit atque capit, quicquid ex oppidanis armatum offendit, interficit, ingentique præda ex direptione oppidi confecta, victor ad Patrem revertitur. Fuitque hoc primum Guſtavi Adolphi militiæ rudimentum, quo & celeritatem ſuam inuſitatam, & felicitatem prudentiæ ſociam velut præludio quodam pulcherrime conſpiciendam præbuit.

VIII. Ex Norvagia duo ſclopetariorum Danicorum millia incurſionem facere in Wermeladiam pa-

raverant temporibus Chriſtinæ Reginæ, atque jam Magnorebroam venerant. Habebant Sueci copias exiguas paratas eo loco, quas opponere hoſti poſſent. Res aſtu ac conſilio conficienda videbatur. Itaque Olaus Stake centum circiter confeſtim convocat equites ſuos, eos in tria dividit agmina, ſingulis ſua dat ſigna, ſeque diverſis hoſti jubet offere locis, atque ſpeciem jam jam irruere volentium præbere, de cætero diligenter obſervare, a tergo ſolem haberent. Quod cum celeriter confectum eſſet, ſimulque cum Solis adverſi radiis, tum ingenti ab adventantibus excitato pulvere conſpectus paucitatis ejus hoſti adimeretur ipſe magnas adeſſe copias perſuaſus terga vertit, ac ne primum quidem impetum Suecorum expectans, concitatiſſimo itinere in Norvagiam revertitur. Ita centum admodum virorum opera calliditas Olai duo adverſariorem millia ſine ſanguine cujusquam in fugam turpem conjecit.

IX Majore aſtu non tam fugavit hoſtes, quam fugiendo proſtravit Martinus Tœrneſkiœld. Tenebat arcem Sandomirienſem in Polonia cum ſexaginta militum præſidio. Quare ipſum ut ejicerent inde, magno veniunt cum exercitu Poloni, cui ſe longe imparem ſentiebat. Et jam ante juſſus erat a Rege, ſi vim cerneret majorem, adverſus quam ſervari arx non poſſet, vel ruina ejus ſaluti ſuæ ac ſecuritati exercitus conſulere, neque integram in poteſtatem hoſtium tradere. Muris igitur ac turribus arcis in tempore ſuffosſis diſpoſita hic & illic habebat pulveris nitrati vaſa. Cumque cerneret agminatim ab una oppidi parte advolare

copi-

copias hoſtiles, ipſe funiculum ignitum apponi pulveri, cellas vero & conclavia omnia ſeris diligenter claudi jubet, aditumque & januas quibuscunque modis poſſet impediri, mox à parte alia cum ſuis ex arce digreditur. Poloni arcem velut metu à Suecis deſertam confeſtim occupant, & quia vident clauſa omnia, neſcio quos reconditos theſauros læti ſuſpicantur. Pars itaque ſecuribus dolabrisque perfringere januas, alii conſcendere turres mœniaque, denique tympanis & tubis, & frequenti ſignorum militarium agitatione, ſibi gratulabantur victoriam, hoſti vero diſcedenti multis ſimul fœdisque cum convitiis turpem exprobrabant fugam. Sed dum ſuperbisſime tripudiant, pulvis nitratus à funiculi prope adjacentis igne ſuccenſus ab ipſis fundamentis arcem cum omnibus Polonorum copiis everterat in aerem, unoque momento & intempeſtive exultantes, & vanam exultationis cauſſam tollit atque diruit. Suecis vero digredientibus jucundum præbet ſpectaculum, qui hoſtes absque ullo labore ſuo vel periculo abunde ob inſolentiam nimiam caſtigatos, ſe contra in tuto conſtitutos animadvertebant.

DE DISCIPLINA MILITARI
CAP. X.

Quoniam hucusq; bellicā commemoravimus prudentiā, non importunū fuerit, addere nonnihil & de diſciplina militari. Nam & ipſa provenit haud dubie a ſolida in bellis prudentia, & per ipſam multa in

iis

iis prudentiſſime conficiuntur. Ordo ſane, qui eſt anima exercitus, ab ipſa. Eadem cuſtodit mores militum vagos alioquin ac feroces,, animumque ad patientiam laborum difficultatumque omnium roborat & firmat. Quare illam noſtri ſemper maximi fecerunt, atque inter populares ſuos ſervaverunt diligentiſſime. Nam in aliis & exercitu diverſarum nationum, earumque nec ſemper concordium, & ſæpe in adverſas partes nutantium qui amabo valuerint? Quanquam ne ſic quidem ſuum declarare 'animum de ea per indicia graviſſima omiſerint.

I. Engelberti ducis celeberrimi patriæq; ab immani exterorum ſævitia liberatoris ſtrenui proviſio & cura ſumma circa hoc negotium memoratur. Tam enim tenacem diſciplinæ, quoquo iter faceret cum exercitu ſuo, ferunt fuiſſe, ut poſt ſe ſalva omnia relinqueret colonis, neque quisquam ullum ſentiret militem, præter hoſtes Unde vulgo jactatum ad immortalem ejus gloriam, ne gallinam quidem a tot millibus cuiquam ſubductam, qui ſub Engelberto merebant.

II. GuſtavusAdolphus ut in cæteris negotiis bellorum, ſic in diſciplina laudabiliter invenit plurima. Nam ne ſui laſcivirent ocio ipſoque uſu exercitioque ad laborum patientiam' durarentur, munitiones, quoquo veniſſet, urbium inſtituere conſuevit. Eratque hoc peculiare ipſius inventum adverſus deſidiam juxta militis & inopiam, qvia ipſi perpetuo verſari in opere oppidani ruſticive munientibus præbere victum', pecunias, aliaque neceſſaria pro labore congebantur. Neque in hiber-

hibernis ocium dabatur veteri conſuetudine, verum omni tempore ad munia belli cuncta, etiam per hiemem aſſuefaciebat. Qua re factum eſt, ut, quod ante prope impoſſibile videbatur, non æſtatem magis, quam hiemem gerendis rebus haberet opportunam.

III. Verſabatur idem cum exercitu in Boruſſia, ubi obſervaverat non modo ex gregariis militibus, ſed & ducibus præſtantiſſimis multos levi etiam de cauſſa diſceptare inter ſe per provocationem certamenque ſingulare conſueviſſe, hacque prava litigandi ratione nunc hunc nunc illum perire, cujus opera longe rectius adverſus hoſtem uti potuiſſet. Quare ſeveriſſimo edicto iſta inter ſuos ſingularia prohibet certamina, contra quod ſi quis deprehenſus fuiſſet delinquere, is, quicunque eſſet, capitis ſupplicio afficeretur. Erant tamen ex præcipuis ducibus duo, qui neſcio quam ob rem ad certamen ſingulare mutuo ſe provocaban. Et ne viderentur agere contra Regium edictum, Regem ipſum adeunt, veniamque certaminis enixe petunt, cum negotium attineat honorem cujusque, quem niſi more militari, hoc eſt ferro, tueri non poſſent. Rex commotus ira, ſed quam callide abdiderat, reſpondet, quoniam omnino ita viſum decretumque ipſis ſit, dare ſeſe veniam certaminis, ut vero rectiꝰ peragantur omnia, ipſum ſeſe ſpectatorem venire velle. conſtituitque ſimul tempus locumque, in quo deberent comparere. Cum ergo adventaſſent pugnaturi, Rex e veſtigio adeſt cum centuriis aliquot ſclopetariorum, quibus eos cingit, tum jubet congredi, nec a dimicatione diſcedere, donec alter al-

terum interfeciſſet. Simul procedere in medium lictorem imperat, nudatoq; enſe expectare eventum, victoremque extemplo capitis ſupplicio afficere. Hac ſeveritate Regis inopinata commoti ad preces convertuntur, prolapſique in genua veniam erroris petunt. ſimul inter ſe redeunt in gratiam fidemque ſibi mutuo amicitiamque ſpondent. Atque ita factum, ut non ipſis modo, ſed & aliis commodius Rex uteretur, nec deinde quisquam cum altero in certamen ſingulare cuperet deſcendere.

IV. Eſt ejusdem & hoc prorſus memorabile exemplum diſciplinæ. Conſtitutus ad urbem Norimbergam vidit ſuos non ex hoſte modo, ſed amicis etiam ac ſociis ſpolia prædaſque agere. Itaque vehementer concitatus ira, duces convocat, acerbiſſimisque verbis ob iſtum diſciplinæ neglectum caſtigat, Mox progreditur e tabernaculo, videtque forte ad decurionis alicujus tuguriolum ſtare pecora, quæ recens ex vicinia proxima ruſtici eripuerat. Igitur hominem extemplo ad ſe provocat, egreſſumq; ſuis corripit manibus, crineque apprehenſum trahit ad lictorem & ſupplicium, edita memorabili hac voce, melius eſſe, ut periret ipſe pœna merita, quam ut per tot ſcelera flagitiaque provocatum ad iram ſupremumNumen exercitum univerſum ultimo exitio affligeret.

V. Fuit quoque Carolus Guſtavus diſciplinæ militaris ſtudioſus, retinensque, quoties ex conditione temporum cæteraque belli ratione liceret. Certe cum veniſſet cum exercitu in Juthiam, atque Fridrichsoddam obſi-

obſidione cinxiſſet, ſuos ſeveritate coercuit, ut nemo caſtris exire, niſi venia impetrata, nemo neque magnæ, neque parvæ rei quidquam cuiquam in agris circa habitanti ſubducere auderet. Quare illa ejus caſtra inſtar publici mercatus erant, ad quem undique conveniebant pagani, alius cum ovis, alius cum pane, alius cum ſale, caſeo, cerevisia, vino, alius aliis cum rebus ad victum neceſſariis. Neque tutius cum mercibus acceſſerant, quam cum facto ex illis precio ad ſuos reverterentur. Ut plus propemodum ex milite utilitatis, quam incommodi ſentirent. Idem in Selandia deinde ante ipſa Hafniæ conſtitutus mœnia ſeveriſſimo edicto militarem licentiam omnem, omnes raptus clandeſtinos repreſſit. Ergo neminis agreſtium vel deſerta domus, vel incultus ager manſit. Quod ſi qui caſu aliquo amiſiſſent equos, ipſi milites ſuos jungere aratro, ruſticoque in agreſti opere miniſteria præbere cogebantur. Quare feliciter obtinuit Rex Carolus Guſtavus, ut cum nullum aliud, quam quod ultima belli poſtulabat neceſſitas, ex milite hoſtili paterentur incomodum, velut cum amico viverent pagani non modo concorditer, verum etiam familiariter, militi vero rerum omnium copiam ſumma promtitudine præberent.

DE JUSTITIA
CAP. XI.

AD juſtitiam accedimus virtutem alteram latiſſime patentem cum in bello, tum in pace, atque ſine qua prudentia non eſt prudentia, ſed ver-

verſutia, vel calliditas, vel quidvis potius: eidem vero jnncta, ſocietatis humanæ vinculum longe firmiſſimum ac ſaluberrimum. Nil profecto certius prava mortalium coercet deſideria, utilitatis vanæ ſpeciem facilius ac rectius expugnat, nil actionibus cunctis vigorem efficaciamque dexterius conciliat. Sed exempla videamus aliqua.

I. Ingo tertius acerrimus fuiſſe vindex atque cuſtos juſtitiæ memoratur, eamque non ab aliis, quam ſe ipſo, magis exegiſſe, ſtudio prorſus ſingulari, quod fas æquumque, quod receptæ leges publicæ poſtularent, obſervans. Pro qua virtute tandem hoc eſt conſecutus, ut totius multitudinis conſentiente voce diceretur is, qui in nullam patriæ legem unquam quidquam deliquiſſet.

II. Ejusdem virtutis ſumma obſervantia commendatur quoque Magnus rex, nominis illius primus. Namque contra eam delinquentes tanta dicitur coercuiſſe cura & ſeveritate, ut cuilibet etiam absque cuſtode, etiam absque ſera ulla peſſulove res ſua maneret ſalva & incolumis. Unde cives eum cognomento memorabili LADULOOS, id eſt, ſeram horreorum nuncuparunt. Quaſi hac juſtitiæ diligenti obſervatione horrea cujusq;, domos, bona non ſecus, atque ſera firmiſſima occluderet ac cuſtodiret. Nec hoc civium ſolummodo de juſtitia Magni fuit judicium, ſed & exteri eam longe lateque prædicarunt. Itaque cum inter Ericum Daniæ, atque alium Ericum Norvagiæ reges orta eſſet lis de finibus imperii, uterque ad neminis alterius, ſed Magni hu-

jus

jus velut integerrimam æquiſſimamque provocavit ſententiam. Et cognovit cauſam eam Magnus Calmariæ Smalandiæ urbe, tantaque diſceptationem dexteritate compoſuit, ut rex uterque ſummam ejus animi rectitudinem integritatemque commendaret, neque victa pars conqueri de ſorte ſua poſſet cuperetve. Quod immortali ejus gloriæ propter exempli raritatem merito annales veteres tribuerunt.

III. Floruit pari laude filius ipſius, rex Birgerus. Ipſe profecto eſt, qui veterem Legum codicem, in quo pluſcula paganorum, quam Chriſtianorum moribus convenientiora legebantur, emendari juſſit, ſuperſtitioſa impiaque tolli, & quæ pietati virtutique propiora eſſent, ſubſtitui, ne deinhaberent, quod religioſi honeſtique homines in illis formidarent, illaque juris renovatione cuncti monerentur, non ex arbitrio ſuo, ſed præſcripto legum cuilibet deinceps vivendum eſſe.

IV. Atque hunc juſtitiæ cultum ſervaverunt multi poſtea per vitam ſuam. Canutus vero Porſe tenuit adverſus ipſum quoque regem. Nam cum is ipſe Birgerus & indignatione propria, & hortatu adulatorum ſtimulatus adverſus Ericum atque Waldemarum fratres, Canuti exegiſſet operam ad comprehendendos ipſos, ultimoque afficiendos ſupplicio, quos tamen tum per amicitiæ ſpeciem fideque data ad ſe evocaverat, illaque veſpero læto exceperat convivio; ille abominatus regis hoc conſilium, non modo quam adverſum pietati omni eſſet ac juſtitiæ, prolixe illi demoſtravit, ſed & quam fœdum viroque bono indignum, ſi quis ei paruiſſet. Cum-

que

que ipſum rex, velut parum regiis mandatis obſequentem immorigerumque, multa verborum acerbitate a ſe rejeciſſet, ipſe non minori animi commotione diſceſſit, quod rex facinus tam atrox iniquumque exigere ab eo, velut honeſtatis æquitatisque omnis aut ignaro, aut prodigo ſuſtinuerit.

V. Manet quoque in annalium fide immortalis gloria Stenonis Sturii ſenioris. Nam ſi quando lis de ipſius ſuborta negotiis eſſet, non aliter ſuam, quam cujuslibet ex plebe, cognoſci cauſam voluit, liberrimeque adverſus ipſos procuratores ſuos pronunciari, ſi forte in crimine fuiſſent deprehenſi. Quos quidem ille ſeveritate tanta rexit, ut exigere a nemine vel nummum unum præter conſtituta ſolenniter tributa operasque auderent. Inde dictum ſermone vulgari de eo circumferri coeptum, malle Stenonem ſibi vitam, quam colono contra pacta fidemque ovem unam eripi.

VI. Similis pronepotis ejus Guſtavi primi fuit virtus: quamobrem ſuas ipſe cauſſas cognoſci ſemper voluit per alios. Aliquo tempore Thuro Erici cum Magno Britonis aliisque ſociis eorum jactaverant non pauca in ipſum, fœda plane ac nefanda, velut pietatem, fidem, religionem jurisjurandi violaret, ſacerdotibus eriperet facultates prædiaque ſua, cives exhauriret tributis, Senatum allectis in eum peregrinis indigne fœdaret. Poſtremo collectis aliquam multis diſcordiam & tumultum adverſus Guſtavum concitaverant. Quod tametſi nemo non videret poſſe Regem jure optimo citra diſquiſitionem ampliorem, cum in ipſo deprehenſi eſſent

eſſent facinore, per ultimum ſupplicium ulciſci, tamen ne in quenquam quidquam, de quo poſſet ambigi juſtumne foret, ſtatuere videretur, eum cum popularibus ac conſciis ad ſolenne ordinum concilium citatos comparentesque inſtar hominis privati ac æqualis more litigantium accuſat, criminis atrocitatem per partes capitaq; proponit, ad ſingula reſponſum exigit eorum, poſtremo ut tota re incorrupto judicio liberrime decernerent, ordines verbis multis ſeriisq; adhortatur. Atque ita factum. Rex Guſtavus, liberator patriæ, ſeditioſorum adverſus ſe capitum non minis, non excandeſcentia, non ferro armiſve, ſed æquabili civium judicio victor evaſit.

VII. Silentio præterire juſtiſſimum Jacobi Bagge factum non debemus. Erat is a Guſtavo Rege miſſus in Finlandiam cum claſſe, ut incurſiones, quas indicta cauſſa faciebant Moſchi, coerceret. Quo cum veniſſet, offerebant ſeſe aliquot ex Moſchis, qui ſive privato quodam odio ſuorum, ſive gratiæ apud Jacobum obtinendæ cauſſa tranſitum pollicebantur ad Succos, ſimulque indicium locorum, quibus per ſilvas proximas nobiles non pauci Moſchorum uxores liberosque ſuos cum pecunia & rebus pretioſis aliis metu incurſionis repentinæ a Suecis abdidiſſent. Verum Bagge parum vel virtuti conveniens, vel æquitati regis acceptum arbitratus, ſi injurias injuriis ulciſceretur, non modo proditores iſtos a ſe rejecit, ſed & minas addidit, ſi conſilium ejusmodi nefarium auſi ſuiſſent repetere, ſe vinctos funibus Nœtoburgum ad præfectum Moſchici præſidii mis-

miſſurum. Qua inuſitata æquitare ac juſtitia viri nobilis Moſchus Feddor nomine, quem ad colloquium cum Bagge miſerat præfectus ille, commotus, non modo quendam Ericum Jœrmel Finnonem homicidii reum, & ob id transfugam, qui dux Moſchorum deprædantium fuiſſe credebatur, quod Jacobus Bagge poſtulaverat, curavit reddi, ſed & de compoſitione animorum & reparatione damni per internuncios cum Moſchoviæ magno Duce acturum ſeſe prolixe pollicitus eſt.

VIII. Chriſtinam poſt virtutes cæteras & juſtitiam impenſe coluiſſe, non ex uno ejus facto liquet, Id inter alia memorabile, quod ſubjiciam. Habebat in aula ſua nobiles duos, Suecũ alterum, alterũ Livonũ natione. Horum unus apud alterum in ſuſpicionem venerat quaſi virginem quandam nobilem quam ambibat ipſe, in amorem ſui, ſubmoto altero, pertrahere ſtuderet. Itaque impatientia amoris æmulum haud ferentis virtus Livonus corrivalem ſuum nihil tale obinantem invitat ad deambulationem amicam. Cumque ambo conſcendiſſent in navigium, & voluptatis cauſſa (ut videri Livonus volebat) huc, illuc per lacum vicinum erraſſent, tandemque in terram non procul ab urbe deſcendiſſent, ibi ſtatim Livonus ad Suecum, pulchram ſibi præbitam nunc occaſionem ulciſcendi perfidiam, qua toties ab eo læſus fuerit, itaque caperet confeſtim gladium, & vitam ſuam, quantum poſſet, tueretur. Suecus verbis quidem humaniſſimis, ſe nec perfidiam noviſſe ullam reſpondit, nec ad pugnam nunc veniſſe. Verum ſurdo iſta dicebantur, namque Livonus accenſus ira impetum

in

in eum facit, pluribusque vulneribus crudeliſſime confodit. Tum fuga liberare ſe conatus, deprehenditur, & ducitur in vincula. Erat Reginæ carus admodum Livonus ille, cum quod eſſet gente clara natus, tum quod artibus cunctis, quibus aulici decorantur, longe ante alios eſſet inſtructiſſimus. Sed atrocitate facti commota, juſtitiam gratiæ omni favorique antehabebat. Quare jubet Judices decernere, qui eum ultimo ſupplicio adjudicarunt. Interea cognati ejus de hoc triſti caſu certiores facti pro vita ejus orant ſupplices apud Reginam, promittunt & ipſi, & interfecti conſanguineis incredibilem argenti ſummam, ſi ea vitam hominis & ætate juvenis, & tum amoris vehementia emotæ mentis daretur redimi. Regina rem remittit ad ſacrum ordinem, ut viderent ex verbo Divino, an tali facinore ultimum merito ſupplicium vita condonari poſſet. Qui cum re ſedulo deliberata negarent, ergo, ait, ego meam conſcientiam onerare iſtiuſmodi clementia non ſuſtineo. Luat, quod flagitio ſuo eſt commeritus. Et tamen in hoc ipſo juſtitiæ ſuæ rigore mœſtiſſima, vix ſine lacrymis nunciatum ejus obitum auſcultavit.

IX. Cum ingentem de Polonis prope Warſaviam obtinuiſſet victoriam Carolus Guſtavus, fuit nonnemo ex minoribus militum præfectis, qui ſive errore aliquo, ſive ut ulciſceretur mendaciſſimos de Regis Caroli Guſtavi una cum exercitu Suecorum internecione rumores, quos liberaliſſime Dantiſci atque per Boruſſiam ſpargebat hoſtis, divulgare cœpit, ſe vidiſſe Caſimirum Poloniæ Regem apud Carolum Guſtavum captum

cum nonnullis aliis Polonorum Proceribus, ſtetiſſeque in proximo, cum in menſa ejusdem cibum caperet. Quæ res eo & celerius propalata, & facilius credita quod cœpiſſet circumferri auctore nec ignoto, neq indigno fide, ut qui quod tradebat, ſe præſenti videnteque affirmaret factum. Quod cum ad regem Carolum Guſtavum eſſe perlatum, ipſe per ejusmodi mendacium ne hoſti quidem paſſus fieri injuriam, juſſit ſtatim comprehendi hominem, & cum commenti hujus ſui nullas idoneas adferre poſſet excuſationes, primum imponi equo ligneo, cum tabella in collo ſuſpenſa, quæ contineba titulum hominis impudentiſſime mendacis, deinde caſtris ſuis ac exercitu proſcripſit. Quo neſcio an Caſimirus ipſe vanitatem hominis ſtolidiſſimi ſeverius puniviſſet, ſi fuisſet traditus ipſius poteſtati.

DE SEVERITATE

CAP. XII.

VIs juſtitiæ ac munimentum velut eſt Severitas, quæ ſe blandimentis nullis, nullis precibus minisve ſinit expugnari. Triſtis exterius horridaque, intus ſtudio pulcherrimo cuſtodiendæ reipublicæ clara & ornata, Quippe quæ imperia a contemtu vindicat, eisque neceſſarium terrore ſuo parit obſequium, quod detrectarent alias, quibus ea demum facere ſolenne eſt, quod cum commodis utilitatibusque ſuis ſentiunt conjunctum.

I. Celebratur in annalibus præ aliis Rex Carolus nominis ejusce nonus, propter gravitatem ſeveritatem-

temque cum in dictis, tum in factis memorabilem. Nam quæcunque publice decreta conſtitutaque fuerant, diligentia ſumma volebat obſervari cuſtodirique ab omnibus. Cumprimis contra eos referunt, qui tributa civium, regnique reditus per artes clancularias fideque mala imminutum iſſent, extitiſſe aſperum & inexorabilem, laquei præſentiſſimo plectens ſupplicio, quotquot in flagitio ejusmodi deprehendiſſet. Nempe motuum occaſione, qui fuerunt ſub imperio Sigiſmundi, dum incertæ voluntates plerorumque ſunt de regno, rex ipſe peregre verſatur, præfectorum plurimi ad ſuarum rerum curam converſi, reditus publicos, quos inferre in ærarium debuerant, ſuis uſibus impendebant. Eratque pars multo maxima ſic ineſcata bonis iſtis, ut legibus minisve nullis poſſet a conſiliis iſtis, etiam conſtituto confirmatoque Rege deterreri. Unde nata Caroli vox celebris de inexpugnabili prætorum illorum perfidia, pleroſque ipſorum poſt ſexennium muneris, poſſe citra ulteriorem cauſſæ cognitionem velut manifeſtos furti reos, laqueo ſuſpendi.

II. Eſt ejusdem & hoc neceſſariæ ſeveritatis memorabile exemplum. Sciſſa in partes tempore Sigiſmundi republica, fuere, qui ſpe vel magnarum opum, vel potentiæ ſuper cæteros fidem patriæ debitam neglexerant, ſeque ſocios & amicos præberent eorum, per quos conſtabat tamen nihil agi aliud, quam ut Sueciæ regnum everſa pietate libertateque ſua fieret Polonici imperii provincia. In eorum numero fuit etiam Archiepiſcopus Upſalienſis, nomine Abrahamus, quippe qui non ſo-

lum litteris Sigiſmundo gratulatus eſt adventum, ſed & Carolum, Ducem tunc, Regisque vicarium ac gubernatorem regni apud eum, velut inhiantem regiæ potentiæ criminatus fuit, cunctosque Sigiſmundo ſeſe opponentes diris omnibus, tanquam impiiſſimos ſceleratiſſimosque mortalium devovit, ipſam quoque claſſem patriam per epiſtolas ad præfectos ejus trahere in obſequium Poloniæ adverſus Sueciam adnixus eſt. Ob quæ crimina non multo poſt accuſatus, cum falſo a ſe culpam in Nicolai Bsthnienſis, aliorum que ex clericis conſenſum & conſilium conaretur devolvere, falſitatisque ejus publice convictus eſſet, duplici nomine in graviſſimam Coroli indignationem incidit. Neque potuerunt illum vel ætas gravis annis, vel Archiepiſcopalis tituli reverentia liberare, quo minus dignitate munereque ſuo exutus, a Carolo perpetuæ cuſtodiæ manciparetur.

III. Severitate adhac graviore animadverſum ab eodem eſt in Petrum de Petroſa, Suecum gente, ſed a Jeſuitis educatum apud exteros, & in Carolum regem odio armatum indelebili, quod ex diſciplina magiſtrorum homo vaferrimus ſolerter tegere, ac in occaſiones idoneas dilatum, per ſpeciem doctrinæ rarioris ac obſequii ſingularis a ſuſpicione omni tutum facere didicerat. Deprehenſus tamen in nefarioRegis obtruncandi conſilio, dedit pœnas acerbiſſimas facti ſui non ſolum rotæ impulſu brachiis cruribusque, ſed ipſo etiam antequam extremum daret ſpiritum, extracto corde ſcelerato, cujus opera nefarium conſilium excogitavarat. Neque poterat Rex plurium ejusmodi inſidiis expoſitus mitiori via ſecu-

ſecuritati juxta ſuæ, ac quieti publicæ conſulere. Quin imo hæc cauſſa publicum expreſſit poſtea ſub Guſtavo Adolpho filio ejus cunctis Regni Ordinibus decretum, ne quis gentis Sueticæ Jeſuitarum frequentet ſcholas. Qui contra feciſſe deprehenſus eſſet, is hæreditate privaretur ſua, & ex omnibus Suetici Imperii provinciis per vitam omnem exul extorrisque eſſet, ſi ſuum ſecutus fuiſſet conſilium: ſin parentum quoque, ipſi haberentur pro Regis patriæque proditoribus, decretoque in tales ſupplicio afficerentur.

IV. Extat & parentis ejus Guſtavi honeſtiſſimæ ſeveritatis exemplum. Nam poſt liberatam infinito cum labore patriam a tyrannide Chriſtierni, nihilominus exiſtebant ſubinde, qui nunc prætextu religionis immutatæ, nunc onerum impoſitorum impatientia turbatam rempublicam, quam de potentia ſua quidquam deminutum mallent. Hos audiebat plebs raro præſenti rerum ſtatu contenta. Itaque cum benignis verbis ſæpe ante monuiſſet omnes officii ſui Guſtavus, ſæpe in concordia communi omnium inter ſe, ac cum rege ſuo ſitam eſſe publicam ſalutem demonſtraſſet, nec eo ſecius inſidias ſibi fieri, patriam novis commoveri turbis intelligeret, poſtremo indignatus vehementer, in ipſis, quas ſub dio prope Upſaliam habebat comitiis ſeveriſſima oratione concionem totam multitudinis caſtigat, & cur tam pervicaces eſſent contra tot fida ejus monita, quicquid denique in communes uſus ex neceſſitate temporum decerneret, per intolerandam pertinaciam aſpernarentur ac negligerent, rationem reddi poſtulat, cum-

que nil haberent, quod idonee poſſent reſpondere, Guſtavus ſicut erat toto corpore armatus, huc illucq; equũ, cui inſidebat, circumagit, ſtrictoque gladio, ite, ait, & vos prælio parate, malo enim inter manifeſtos hoſtes perire, quam inter toties pro meis tantis beneficiis rebelles tamen ac inſidiatores ſpiritum precarium ducere.

V. Fuit hæc Guſtavi voce, quam re, major ſeveritas, ut adverſus cives, & pleroſque auctoritatem alienam potius, quam ſuum animum vel conſilium ſecutos: at vero illa adverſus Lubecenſes facto quoque memorabilis. Miſerant illi Guſtavo adhuc circa initia vindicandæ libertatis publicæ hærenti ſuppetias ſub mercede gravi, pactoque mercaturæ per ſuos tantum cum immunitate libertateque ſumma in Suecia exercendæ omnibus excluſis aliis populis. Quæ res per ſe iniqua licet, neceſſitate tamen temporum aliquandiu perlata fuit. Ergo Lubecenſes confeſſionem imbecillitatis interpretati, quod conſilium erat, inſoleſcere magis magisque, pauloque poſt ſpe plurium extorquendorum, cœpta regis varie impedire, poſtremo mittere ad Guſtavum de injuriis conquerentem, procaciſſimæ linguæ Conſulem ſuum, nomine Wollenweberum, cum nonnullis aliis ejusdem faſtus ac ſtoliditatis civibus. Qui admiſſi nihil verebantur jactare palam: Lubecenſes, ſicut Guſtavum feciſſent regem, ita eundem a regno repulſuros eſſe. Qua ſuperbiſſimæ ſtoliditatis voce, quæ ipſa cœleſtis providentiæ ſuffragia impiiſſime proculcabat, Rex Guſtavus in immenſum exacerbatus, ipſos quidem hoſtium loco habuit, quotquot vero civium Lubecenſium in urbe potuit

tuit comprehendere, includi carceri, mercesque eorum fiſco regio inferri juſſit, poſtremo quod indulſerat ante liberrimæ mercaturæ jus, civitati tam ingratæ in perpetuum ademit.

VI. Regum fuit hæc ſeveritas, memoranda nunc & militum. Tenebat arcem CalmarienſemBernhardi a Mylen nomine contra fidem Regi Guſtavò debitam Henricus Jute cum Nicolao Steonis: ad quam proinde recipiendam ipſe Rex cum nonnullis copiis contenderat. Præſidiarii fiducia munimentorum pertinaces nulla Regis audire imperia,verum proMylio pati ultima paratos ſe jactabant. Igitur fit oppugnatio, quantis poteſt viribus. Illi ſtrenue ſe defendunt, & quadringentos Guſtavi milites ipſis cum ducibus ſuis ferro, lapidibus, quacunque dehinc ratione queunt interficiunt. Quæ res non Guſtavo ſolum moleſtiſſime accidit, ſed & exercitum ipſius tanta ira exacerbavit, ut cum paulo poſt præſidiarii aut cæſi præliis frequentibus, aut vulnerati eſſent, reliquique liberum paciſci abitum quærerent; primum nullas eis dari vellent conditiones, mox arbitrio victorum permittentes ſeſe, promiſcuis cædibus mactarent. Cumque inter ipſos eſſet ſenex calvus rei tormentariæ longe peritiſſimus, quem Rex ob ſingularem artis præſtantiam ſervare in vita quærebat, ne ipſe quidem obtinere quidquam potuit ab exacerbatis iniquſſima præſidiariorum pertinacia ſuorum animis. Quin potius ante alios ad ultimum recalvaſter ille tractus ſupplicium, quem paucis diebus poſt naturæ vide-

batur redditurus, ad duriſſimam militum legem ponere ſpiritum coactus eſt.

VII: Similis ſeveritas agreſtium fuit adverſus Jœſſe Erichſonium tempore Chriſtophori regis. Ipſe Danus natione, ſub Erico Pomerano diris tributorum exactionibus in exhauſtam pridem per civiles motus, aliasque temporum calamitates plebem immaniſſimo graſſatus fuerat, arci Aroſienſi a rege præfectus. Itaque ab Engelberto captus & in exilium ire juſſus, non potuit tamen, quin quæ poſſet, innocenti multitudini afferrent incommoda. Forte quodam tempore venerat in cœnobium Wadſtenenſe, clam inde petiturus alia cœptis ſuis opportuna loca. Id circumjecti agreſtes territorii præſertim Askeherad per fidum aliquem intelligunt. Quapropter magno numero collecti, cœnobium circumdant, Erichſoniumque inde extrahunt. Mox convocato ſolenni territorii judicio ducunt eum ad tribunal, cauſamque tot injuriarum & calamitatum, quibus affeciſſet plebem miſeram, jubent dicere. Sed habebat ipſe nihil, quo flagitia manifeſtiſſima poſſet ſaltem colorare. Itaque conſenſu omnium adjudicatur morti, & in frequenti ſpectantium corona ſecuri percutitur,

DE CLEMENTIA

CAP. XIII.

VEnio ad munimentum alterum juſtitiæ, Clementiam. Munimentum dico: niſi enim amabilitate hujus, rigor alterius temperatus fuerit,

rit, ipſa vi ſua illa collabetur. Nempe ſumus omnes homines, nec amare poſſumus juſtitiam, quæ ſpem omnem veniæ habet interclуſam. Quæ a criminibus non diſtinguit errores, neq; animum attendit, verum factum. Illam colimus, quæ ſcit, condonanda quædam ſi non homini, ſaltem humanitati; ipſaque lenitate verecundiam peccandi facit. Atque ita per tempeſtivam hanc clementiã ipſum neceſſarium quandoque rigorem ſuum non excuſat modo, verum etiam commendat. Et habemus inſignia hujus etiam virtutis inter noſtros documenta.

I. Primum dabit Magnus rex, cognomento Ladulas. Venerat is privatus adhuc in odium fratris Waldemari regis, quod vivere ſplendidius, quam qui ſorte ſua contentus eſſet, videretur. Accendebat illud odium quotidianis criminationibus Sophia, Waldemari conjux, multaque ſalſe acerbeque in Magnum jactabat dicteria ob vultus corporisque habitum in ipſo minus venuſtum ornatumque. Hinc contentiones, atque mox apertum bellum. In quo cum exercitus Waldemari victus occubuiſſet, ipſe in fuga cum conjuge deprehenſus, & captivus ad Magnum adductus eſt. Nemo erat tum qui non crederet Waldemaro imminere ultima a fratre tot injuriis laceſſito, & tum victoria recenti exultante. Neque Waldemarus ipſe in conſpectũ ejus veniens ſuſtinuit orare ſupplex quidquam præter vitam, aut ſummum, patris Birgeri (Comes is non ita diu ante vita exceſſerat) relicta prædia, unde poſſet ſeſe alere. Quid vero Magnus? Agnoſcere ſe fratrem,

E 5 ait,

ait, injurias illatas fraternæ neceſſitudini condonare, nec quid commiſiſſet, meritusque ipſe eſſet, ſed quid ſibi nunc conveniens honeſtumque foret, in conſilium adhibere. Advocat deinde Regni proceres, facit cum captivo fratre, ac tantum non ultima metuente pacem, perpetua oblivionis lege memoriam injuriam obliterat, Waldemarum ipſum ſupra non expectationem modo ſed & vota ſua non ſolum dimittit liberum, verum etiam in partem & ſocietatem imperii aſſumit, ſic diviſis inter utrumque provinciis, ut haberet ipſe Sueciam, Waldemarus Gothiæ regno præeſſet. Qua inſigni clementia Magnus non victoriam modo vicit, ſed & de triumpho ipſo, qui victoriæ fructus eſſe ſolet, ſplendidiſſime triumphavit.

II. Non inferior fuit Regis Erici, Canuti filii clementia. Licet enim fratres ejus, aliosque ex nobilitate ipſis junctos, bello graviſſimo vexaſſet rex Suercherus, ipſum etiam Ericum in exilium compuliſſet ire: Licet etiam Suercherus paulo poſt ingenti affectus clade occubuiſſet, haberetque Ericus revocatus ab exilio a ſuis, inque ſolio paterno conſtitutus occaſionem egregiam referendi paria Suercheri neceſſariis amicisque; poſtremo pietas erga fratres, quos occiderat Suercherus, illud pæne videretur poſtulare, tamen maluit hoc quantumcunque foret, delicti, moderationi ſui animi, & quieti publicæ remittere, quam intempeſtiva ſeveritate tantum ſi non amicorum, civium certe perdere. Quare omnibus veniam & impunitatem dedit, hacque inopinata bonitate ac clementia ſibi amorem apud omnes, civibus

vibus concordiam. reipublicæ quietem ac tranquillitatem reſtituit.

III. Quid dicemus de Guſtavo primo, cujus erga delinquentes clementia enituit ſæpiſſime. Nulli tamen evidentius exemplum ejus eſſe poſſunt, quam Dalekarli, quibus non ſemel, non iterum, ſed tertia vice tumultuantibus, animo benigniſſimo ignovit. Neque vani ſolum illi fuere motus. Foverant Sunnanuvederum & Canutum, perduellionis condemnatos. Fictitium Stenonis filium adverſus Guſtavum adjuverant, Ipſos poſtremo regis Præfectos nunciosque, poſt multa mendaciſſime contumelioſiſſimeque in Guſtavum jacta, male multaverant, & ad mortem verberaverant fuſtibus. Et tamen Guſtavus, licet tot affectus eſſet injuriis, tot oneratus moleſtiis, tot implicatus periculis, licet poſt ſingulos motus milite ſuo haberet circumdatos, cædeq; promiſcua de toties rebellibus fidemque, quam non communiter cum cæteris civibus tantummodò; ſed ſeorſum quoq; ipſi dederant non ſemel, ſceleſtiſſime fallentibus, iræ juxta ſuæ, cauſæq; juſtæ poſſet ſatisfacere, maluit nihilominus unius & alterius ex flagitioſiſſimis ſupplicio contentus eſſe, quam ſummo jure agere adverſus cæteros ſontes, & ſtultam multitudinem. Quin imo eorundem ſupplicio affectorum bona, quæ ut perduellium ex lege publica fiſco poterat addicere, uxoribus eorum liberisq; benigniſſime reſtituit, oſtenditq; malle ſeſe jure ſuo, quam ab innoxia modo ſibi regnoq; humanitate recedere.

IV, Bonitatis fuit ejusdem, quod Ericum Larſon

ſon, unum ex Dakii, Smolandiæ univerſæ ſceleratiſſimi turbatoris ducibus præcipuis, poſt multa in ſe ſuosq; flagitoſiſſime admiſſa, tamen iterum receperit in gratiam, omnique liberum ſupplicio dimiſerit. Habebat is Ericus ſub imperio ſuo bene magnum numerum ſeditioſorum ex Tiuſt & Ringerum collectum. Cum eo Sudercopiam invaſerat, regiasq; illic ædes, & quicquid ex frumento aliisque rebus magna copia congeſtum ibi fuit, hoſtili plane modo diripuerat. Mox obſeſſum tenebar Stekebergum, Suantonemq Sturium, præſidiariorum, arcis ejus præfectum multiplicibus affecerat injuriis, cæſis non paucis militum ipſius, captisque tormentis duobus, equisque aliquot ipſius Sturii. Tamen cum deinde rectius hoc flagitium ſecum animo perpenderet, oraret ſupplex Regis gratiam, polliceretur fidem, non à Stenone modo Regis nomine receptus, ſed à Guſtavo ipſo deinde delictorum omnium veniam conſecutus eſt, cui propoſitum ſemper fuit, magnis ex emendatione ſeria ſontium procurare publicam utilitatem, quam non neceſſaria ultione captare voluptatem.

V. Ab avo ad nepotem, Guſtavum ſecundum veniamus, quum & ipſe ingenio ſicut maximo, ſic benigniſſimo placidiſſimoque fuerit. Quod apparuit cum alias, tum occupata urbe Riga. Quam tametſi haberet clauſam arctiſſime, ac ad neceſſitatem compuliſſet ultimam, ſciret foris nullas ei expectari poſſe ſuppetias, intus turbis & & ſeditione laborare omnia, atque ſic effugere vim ſuam nulla ratione poſſe, tamen non ad pacta modo admiſit, ſed & digntati libertatique

pri-

priſtinæ per eadem reſtituit. Quod eo majorem bonitatis admirationem habet, quoniam non ſolum pertinaciter, etiam poſtquam liberationis nullam amplius haberet ſpem, Guſtavo Adolpho reſtiterat, verum etiam per univerſum belli & obſidionis tempus convitiis fœdiſſimis majeſtatem ejus violaverat, totamque gentem Sueticam omni genere contumeliæ affecerat. Quam injuriam quis tandem victor ſiviſſet impunitam, niſi Guſtavus Adolphus, qui non hoſtes magis, quam animum juſtis quoq; cauſſis commotum, & victoria ſe efferentem vincere didicerat.

VI. Non tradendum eſt oblivioni etiam Chriſtinæ, filiæ ipſius pulcrum iſtoc clementiæ exemplum. Die quadam ſacris Holmiæ intererat: in interiori templi loco, nec multum ab ara diſtante ſedem, ſuo more occupaverat: cum per ſatelites, qui ante januam, qua ſejungitur a templo reliquo, ſtabant haſtis armati; aditum ad Reginam quærit nonnemo, litteras docere ſolitus in Gymnaſio illius loci. Concitatiore, quam ſoleret alius, properabat gradu, præterea neſcio quid tetrum præferebat vultu. Itaqne ab iis, qui a Regina ſtabant proximi, via clauditur oppoſitis haſtis, ipſe detinetur, & mox a Regni Senatoribus ſevere jubetur, edicere, quid petitum tanto impetu contendiſſet ad Reginam, maxime tunc operantem ſacris? At is varia obtendens, nil habebat, quo magnopere fidem dictis poſſet facere, cæterum nudatum cultrum intra veſtes abdiderat. Quæ res ſuſpicionem præbuit non paucis meditati ultimi adverſus Reginam ſceleris ac parricidii,

cum

cum conſtaret, ante quoque ſolitum conqueri de præteritione ſui, ac promotione aliorum multo, ut putabat, ſe inferiorum. At regina pro immenſa bonitate ſua mentis emotionem interpretata, quod impium atroxque alii credidere conſilium, amoveri hominem ceu delirum juſſit, nec ulteriorem inſtitui cum eovoluit quæſtionem. Ex adverſo curam ejus agi, ut ægroti, ac in loco tuto ipſum aſſervari præcepit. Ad poſtremum omne, quicquid fuit tandem, quod in animo habuit, alta mente neglexit, ipſumque annua pecunia conſtituta ſuſtentavit aluitque, quamdiu in vita ſuperfuit.

DE FIDE

CAP. XIV.

Juſtitiæ comes ſociaque Fides eſt, quam dictorum promiſſorumque cuſtodiam ſanctam eſſe dixeris. Nihil certe, quod ſocietatem hominum inter ſe majore vinculo conjungat conſervetque, vel ſi caſu aliquo culpave fuerit diviſa, felicius denuo atque promtius conſociet. Hæc pacem bellumque regit: hæc negotia pacta, fædera moderatur & cuſtodit. Sine ea nulla gens, nulla civitas, nulla domus ſalva manere poteſt, Itaque non alia virtute Sueci omni tempore cenſeri magis voluerunt. Cujus rei ecce locupletiſſima nunc exempla.

I. In exercitu Guſtavi Adolphi quidam erat Quintus de Ponte, qui ſceleſto animo inſidias non ſemel regi ſtruxerat, Itaque non potuit diutius latere, ac quoniam manifeſtata conſilia ſua intellexerat, fuga

fuga ſibi quæſiverat ſalutem apud hoſtes. Accidit non ita multo poſt, ut Rex occuparet Demminam urbem, in qua quicquid habebat ſarcinarum opumque, Quintus ille vellet in loco munitiſſimo repoſita habebat. Ergo quæſiverunt ex Guſtavo Rege. qui dimittere præſidium hoſtile ex urbe juſſi erant, annon retinere res ſicarii illius vellet, atque vel hoc ſaltem modo proditori ſceleſtiſſimo inferri ultionem. At is noluit, verum dimitti juſſit, quos ſciebat ſecum iſtas exportare, ne quid faceret adverſum fidei, quam de libero cunctorum diſceſſu, qui præſidii cauſſa urbem ante tenuerant, hoſti obligaverat. Adeo cuſtodiam illius, etiam juſtæ cenſuit anteferandam eſſe ultioni.

II. Pulcra quoque patris ejus. Caroli regis fides. Poſtquam enim profligato ad Stongæ pontem exercitu Sigismundi, omnia jam in manu habere videretur, Sigismundus etiam ipſe maximum ſibi rebusque ſuis imminere malum a Suecis intelligeret, in illo ipſo campo, quo cum exercitu victore ſtatim poſt commiſſum prælium morabatur Carolus, colloquium de pace ſolus cum ſolo Carolo petit. Annuit libenter Carolus, & Sigismundum ad ſe venientem excipit multo cum honore verborum. Mox cum eo ſolo inter medias acies locutus, pacem & concordiam ſancit, & Sigismundum liberum a ſe dimittit, in quo uno in poteſtate ſua conſtituto integram non modo Suetiam, ſed & Poloniam captivam ducere potuiſſet. Unde quoq; ſacrificulus ex Sigismundi exercitu ad Carolum: Duo hodie in manu habuiſti regna, nunc dimiſſo Sigismundo, an ſis re-

cep-

cepturus unum, incertus es. Adeo tu quidem potes vincere, uti victoria ignoras. Verum major fidei fuit apud Carolum, quam regni cura, quod niſi bonis artibus quæſitum, ſciebat raro eſſe felix atque diuturnum.

III. Quia Sigismundi mentio hic incidit, etiam illius fidem memorabimus. Cum a Polonis electus eſſet ad regnum; neque pater ejus Johannes neque ipſe voluerunt, niſi ante omnia, quæ per Livoniam Sueci multorum annorum ſumtu laboreq; habebant occupata, regno Sueciæ tranſcriberentur. Dederatque ipſe Legatis ad ſe in Poloniæ regnum deducendũ miſſis hoc reſponſum Sigismundus, per ſe nil ex eo, quod in Livonia Sueci peperiſſent ſibi, diminutum iri, ſcripto quoque patri, ante quam ex Suecia excederet fidem ſuam obligaverat de non alienanda parte ulla regionum a Suecis occupatarum. Nihilominus cum veniſſet Dantiscum, Cancellarius Poloniæ cum eo agit pluribus, ut Livoniam cederet imperio Polonorum. Cumque ille integrum hoc ſibi negaret, Cancellarius ad eum, ergo vitio ſibi verti non poſſe, ſi de rege alio ſibi circumſpiciant. At quam vocem Sigismundus magno erectoque animo, ſe vero malle regno carere univerſo, quam vel minimum contra pacta, juramento patri Sueciæque firmata, conſcientiamque ſuam committere. Cumque urgerent amplius ſenatores, ipſe vero, aliud a ſe reſponſum fruſtra expectari diceret, poſtremo etiam Mareſchallus adderet, parum Sigismundo fore decorum, ſi re infecta domum redire

coge-

cogeretur; Sigismundus egregie: Mihi vero laudi gloriæque futurum confido apud omnes populos æternæ, ſi me pluris promiſſorum fidem, quam ampliſſimum feciſſe regnum intelligent. Quem animum ſi ad ultimum ſervaſſet, non paterno Succiæ regno excidiſſet.

IV. Hæc recentia ſunt exempla, dabo unum nunc ex veteri hiſtoria. Temporibus Gothrici Regis florebat armis aliisque virtutibus quidam Refer nomine, qui rem ſuam multis modis conſilio Neri Comitis amplificaverat. Quodam tempore illiusdem ſuaſu regulum Olaum, quales Suecia habebat multos tunc victum armis quærere aſſuetos, adit, galeamque ipſi thoracemque ferreum inuſitatæ pulcritudinis, quem a rege Angliæ dono acceperat, offert muneris loco, & ab eodem gratiæ cauſſa claſſem octoginta navium per dimidium menſis utendam conſequitur. Cum ea claſſe velut propria invadit regiones Gothrici, eumque inopinato bello adgreditur. Quod cum declinare pactione honeſta quæreret Gothricus, parum tunc inſtructus, Neri Comes, qui de toto negotio clam egerat cum Refer, conſiliumque ipſi hoc ſubminiſtraverat, in Gothrici aula conſtitutus, Gothrico regi ſuadet, ut offerret alteri filiam in matrimonium, ornatumque Comitis dignatione ſocium aſſumeret conſiliorum publicorum. Quam in rem cum Gothricus omnium ignarus conſenſiſſet, Neri ex compoſito cum Refer, velut ad omnia difficilia diu agit de pace, poſtremo tamen cuncta conficit. Fit concordia inter utrumque, fides jurejurando confirmatur.

F Cum

Cum ſic Refer, quæ optaverat, obtinuiſſet, ipſe claſſem Olao regulo reſtituit, ſolusque ac inermis ad Gothricum revertitur. Ad quem Gothricus, unde ſic veniret ſolus, ubi claſſem reliquiſſet ac exercitum? Ita Refer omnia, ut geſta fuerint, ſimpliciter confitetur. Tunc Gothricus rex: Video me aſtutia tua Nerique circumventum; Licet vero ſim deceptus, fidem tamen ſemel datam, firmatamque juramento ſanctiſſime paratus ſum ſervare. Ita factis ſplendidiſſimis nuptiis filiam ſuam dedit Refer, eundemque inter participes omnium ſuorum ſecretorum benigne adſcivit.

V. Regum fidem memoravimus, videamus nunc & civium. Sub Guſtavo primo Thuro Johannis cum nonnullis aliis Weſtrogothiæ nobilibus, Epiſcopoque Scarenſi conjurationem iniverant adverſus regem, ſive ſtudio novarum rerum & amore erga Chriſtiernum regno ejectum, ſive odio religionis Lutheranæ, quam per regnum univerſum obſervari Guſtavus rex præceperat. Habebat Thuro ille filios in Uplandia verſantes, Johannem, Laurentium, & Georgium præpoſitum Upſalienſem. Ad hos dabat litteras, ut adverſos regi faceret, ſibique ac conjuratis cæteris per Weſtrogothiam adjungeret. Verum Johannes & Laurentius Guſtavo etiam contra patrem ſuum fidi, celeritate quanta poterant, ſe conferunt ad regem, litterasque, ſicut erant obſignatæ, ipſi offerunt aperiendas legendasque, poſtremo preces addunt ſupplices, ne de ipſis aliter, ac de fidis civibus, & pro ſalute regis ſui ad ultimum morituris, ſentire dignetur, ſe ſi ita ipſi videatur, omnem amicitiam renunciare patri,

patri, atque ex adverſo hoſtilia cuncta denunciare paratos eſſe. Neque aliter re ipſa ſeſe omni deinde tempore erga regem Guſtavum præbuerunt.

VI. Similis fuit fides Nicolai Arvidſonii, Conſulis Jœnecopenſis. Cum enim per eosdem ex Weſtrogothica nobilitate conjuratos etiam Smalandi concitati eſſent ad arma, civesque Jœnecopenſes juxta cum agreſtibus vicinis plurimum tumultuare cœpiſſent, ducem ſibi faciunt Nicolaum nominatum, quem ut ſciebant ſolertem, ita fidum ſibi crediderant. Nec is ſeſe aliter exterius gerebat, quam ut deſideria ipſorum æqua judicare, conſilia promovere videretur. Itaque nil ei clam habetur, cognoſcit intus omnia, ipſas quoque, quas Weſtrogothi nobiles ad Smalandenſes dederant litteras conſequitur. Quas per fidos homines confeſtim mittit ad Guſtavum, ut ex iis ſummam conſiliorum inter conjuratos cognoſceret, rebusque ſuis, ſicut optimum cenſeret proſpiceret. Sic unius hominis circumſpecta fide primi conjuratorum conatus eluſi, Guſtavus Rex in tempore ex ingenti periculo liberatus, reſpublica ipſa pulcerrime conſervata fuit.

VII. Dabo adhuc unum temporibus illis, nec inſigne minus, fidei exemplum, quod enituit in Suantone, Sturii filio. Commiſſam a Guſtavo rege habebat arcem Stekeborgenſem, ut adverſus omnem vim patriæ regisque bono ipſam conſervaret. Interea cum Dakio per Smalandiam & provincias vicinas tumultuari cœperant perplurimi, prætextu libertatis, cui nonnulla ordinum impoſita conſenſu repugnare querebantur, re-

vera ut extorrem in regnum reducerent Chriſtiernum, qui per amicos ſocioſque magnam vim pecuniarum cum inſigni dignitate ipſi fuerat pollicitus. Itaque quo ſpecioſius expediret cœpta ſua Dakius, Suantoni ſcribit ex oppido Smolandiæ Wexiœ, concordi omnium Smalandorum, aliorumque plurium deſiderio ac voto expeti in Stenonis Sturii, parentis ſui locum, qui & ipſe paulo ante regno, gubernatoris nomine præfuerit, imperio ipſius ſe ac cunctos cæteros obedire paratos eſſe, modo ipſe Guſtavo ſe opponere, veterique ritu, quo pater olim ejus, majoreſque, imperio ſe præfuturum vellet polliceri. Verum nihil fuit, quod a fide regi debita Suantonem dimovere poſſet; non preces, non pollicitationes ullæ, ac ne ipſum quidem oblatum ei regnum ac imperium. Guſtavum, cui obſequium cultumque ſemel juraverat, adverſus non vim modo hoſtium, ſed expectationem quoque ſeditioſorum, propriique animi liberiores cogitationes pietate ſumma & conſtantia per vitam omnem tuebatur.

VIII. Cum Guſtavus Apolphus bellum gereret adverſus Polonos in Boruſſia, rebus ſuis vidit plurimum emolumenti allaturum ſi Dantiſci, urbis munitiſſimæ, ac ad Balticum mare ſitæ potiretur. Quare arcta illam parat cingere obſidione, poſitis ad portus oſtium octo navibus armatis, quæ introitum exitumque cunctis intercluderent. Hic ne Dantiſcani quidem ſegnes, ac præcipue de navigationis libertate ſolliciti, naves decem inſtruunt, easque adverſus Sueticas emittunt. Præerat claſſi Sueticæ Nicolaus Stiernskiold, qui rem fortiter ini-

initio adverſus Dantiſcanos gerebat. Sed deinde ictus globo tormentario poſternitur. Ergo retro ire naves Sueticæ, fugæque ſeſe tradere incipiunt. At præfectus proprætoriæ conſtanter pro rege ſuo pugnare, neque loco cedere. Cumque circumventum jam ſe unicum a pluribus videret, neque ſupereſſe, quam ut aut ſeſe hoſti dederet, aut fortiter occumberet, prius pati omnia conſtituit, quam venire vivus hoſtium in poteſtatem. Itaque immiſſo in pulverem tormentarium, qui fuit reliquus in navi, ardente funiculo, eodem momento ſe cum navi, omnibusque qui in ipſa erant, flammis fluctibusque abſumendum tradidit. Non equidem disquirimus hoc loco, quam probe ſibi conſcientiæque ſuæ conſuluerit. Regi tamen ſuo fidem nullo certiore comprobare potuiſſe documento, absque ambiguitate profitemur.

IX. Feliciore aliquanto ſucceſſu fidem ſuam patriæ reginæque Chriſtinæ declaratum ivit quidam nomine Johannes Muhr, qui ſub Centurione optionis titulo in bello Germanico tempore Johannis Bannerii militabat. Captus ille fuerat cum ſeptuaginta circiter gentis ſuæ aliis Gartzæ in Pomerania, & a Brandenburgicis coactus ad præſtanda ipſis ſua in bello etiam adverſus ſuos miniſteria. Poſt anni fere ſpacium evenit caſu, ut una cum ſuis, quos junctos pene omnes ſub iisdem ſignis eſſe permiſerant, e Cuſtrino verſus Oderbergam iter juberetur inſtituere. Hic Johannes memor fidei, quam patriæ, quam Reginæ ſuæ deberet, Suecos ſuos adhortatur, ut cum habeant occaſionem optatiſſi-

mam revertendi ad ſuos, eam ne omitterent, haud perinde alias æque promte redituram. Placuit honeſtum omnibus conſilium. Ergo clam præſidia hoſtium, nec ſine gravi periculo prætervecti, ſalvi tamẽ ac incolumes Stetinum omnes ad ſuos evaſerunt.

X. Addam his recentioribus exemplum vetus. Kexholmam arcem, quam Birgeri regis ætate occupatam tenuerant Sueci, exercitu ingenti obſeſſam habebant Ruſſi ſeu Moſchovii. Tuebantur eam præſidiarii magna virtute, licet pauci, rebusque omnibus ad victum neceſſariis deſtituti. Urgente igitur fame, quicquid quoquo modo cibi loco eſſe poterat, principio abſumunt. Deinde cum deeſſent iſta quoque, dies nihil ominus ſex integros cum hoſte confligunt, nec permittere ſe illi ullo modo volunt. Poſtremo cum reſtaret nihil, quam ne inulti perirent arcem quotquot tenuerant, egrediuntur, cum ingruente hoſte prælium inſtituunt plurimos ex Ruſſis cædunt, ad ultimum abunde ulti necem ſuam in fide, quam addixerant regi ſuo, non victi, ſed vincendo fatigati glorioſiſſime procumbunt.

DE FORTITUDINE

CAP. XV.

VOcant hæc exempla nos ad meditationem Fortitudinis, quæ pene propria Suecorum fuit. Ea ſane totam propemodum priſcis temporibus occuparant Europam, & in Orientem quoque aditum fecerunt ſibi. Eadem, cum per tumultus bellaque civilia omittere aliena, ſuis domi rebus proſpicere compelle-

pellerentur, omnes improborum machinationes civium, omnia tyrannorum conſilia pulcerrime profligarunt. Ad poſtremum regno velut novis condito auſpiciis virtutem ſuam per vicinas gentes ſic circumtulere, ut illius fama nullis ſint ſecundi, bellandi vero arte ac induſtria cunctas antecedant. Et profecto nulla alia eſt virtus, quæ ſplendidiora opera conficiat, ac propterea majori laude gloriaque celebretur. Hanc maximi minimique colunt atque admirantur. Hujus fidei velut aſylo cuncti ſe committunt, imperio libenter obſequuntur. Ex hac pene ſola unicaque quicquid legitur in litteris, & in memoriis antiquis vivit ac ſuperſtes eſt, proveniſſe obſervatur. Verum ipſam in exemplis egregiis intueamur.

I. Ante omnes cognomento quoque Starkotteri Helſingi fortitudo, velut Herculis alterius apud Suecos celebratur. Primum enim Victiarum Norvegiæ regem, Floccumque Ruſſiæ certamine ſingulari victor interfecit. Mox duos celeberrimos in Hybernia pugiles, & unum in Ruſſia Orientali Viſinnum nomine occidit, qui obviis fæminis ſtupra inferre, omnique contumelia moleſtus eſſe conſeverat. Idem ſuperavit lucta Tannum quendam, artis ejus nomine cunctis antelatum apud Byzantium, inque præmium victoriæ per ignotas diſſitasque terras errare illum compulit. In Polonia vicit Vaſiam, in Saxonia Hamam, pugillatu celebrem utrumque. Idem uno certamine novem pugiles in Norvagia ſuperavit. Memorantur & alia ejus facinora, quæ abunde virum fortitudinis inuſitatæ prorſus atque incredibilis teſtantur.

II. Similis huic fuit Gothus quidam nomine Haldanus. Is namque Hartbenum quendam virium ſiducia ferocem, & mulierculis præſertim per libidinem fœdam ſuperbe inſultantem clava ferrea comminuit. Egtherum Finnonem, piratica infeſtantem maria, & navigantes deprædantem, prælio ſingulari ſuperavit occiditque. Grimmonem, Thoriltæ Norvagiæ, & Ebbonem Gothiæ regis filiarum procos & impares genere, & turpes fœdosque moribus, provocatos vicit, atque ita puellas ab iniquiſſimis ipſorum deſideriis minisque liberas, maxima cum laude virtutis ſuæ, parentibus earum reſtituit.

III. Etiam Rolſonis regis virtus apud veteres in magna laude fuit. Præter multa namque alia, quæ fortiſſime animoſiſſimeque geſſit, Grimmum piratam, cùm per ſe trucem, tum auxilio pugilum duodecim, quos perpetuo in conſortio ſuo habebat, ferociorem, prælio navali vicit, atque interfecit. Fratrem quoque ejus Grimerum, gigantea magnitudine cunctos alios altera parte ſuperantem, cum ulturus cædem fratris eſſet, circumventum conſilio proſtravit. Idem ſolus in acie Ruſſiæ regis Haldani viros fortiſſimos duodecim, interque ipſos Roſtioſum & Heſthofdum fratres inſuperabiles putatos, enſe Riſanot, quem abſtulerat Grimnero, in fruſta concidit. Occidiſſe etiam leonem dicitur in Irlandia, & feciſſe alia, ob quæ inter viros ſua ætate fortiſſimos conſenſu Septentrionis totius numeratus ſit, famamque nominis ſui latiſſime per terras populosque circumjectos illuſtraverit.

IV. Sed

IV. Sed hæc ſaltem propter vetuſtatem fabulis videri propiora poſſunt. Ergo illa nunc trademus, de quorum nemo dubitabit fide. Certe quanta fuerit in Carolo Guſtavo regefortitudo, hodieque loquuntur Polonia, Boruſſia, Dania, & vicinæ regiones. Neque ducis modo, ſed & militis munere, cum uſus & neceſſitas exigerent, ſolebat fungi. Noverunt abunde, qui Warſavienſi prælio interfuere, in quo ipſe agmina ducere, ipſe inter primos pugnare in hoſtem, ſuosque per tres dies integros exemplo proprio ad conſtantiam fiduciamque, animabat. Accidit tum illud quoque memorabile. Conjuraverant, quod poſtca compertum eſt, in necem ejus tres ex gente Polonorum privato magis auſu, & cupiditate gloriæ, quam publico conſilio conſenſuve. Horum unus factus obviam verſanti Carolo in acie, ſubdit equo calcaria, & in feſtam haſtam curſu concitatiſſimo latus dirigit in ipſum pectus ejus. Nemo erat ex vicinis, cui non improviſus ille impetus ultimum regi allaturus exitium videretur. Cum præſertim arcte ſtarent conſtipati, neque ſpacium advolanti dari poſſet. Verum rex intrepide per exiguam tempeſtivamque inclinationem corporis ictum evitat, haſtam ſub brachio innoxiam ſinit prætervehi, equitem ipſum freno equi ſui implicatum globo plumbeo in terram dejicit, ſeque animo promtiſſimo ex ultimo diſcrimine vindicat in priorem libertatem. Idem ante illud prælium animorum plenus ac fiduciæ, cum plerique cum hoſte viribus decies ſuperiore acie aperta non cenſerent dimicandum, cum præſertim ſi quid eveniret ſiniſterius, fugæ nullus pateret lo-

cus, aut reficiendarum virium occaſio daretur, ipſe diſſerebat contra, neque permittendum, ut aut ſuis crederetur parum fidere, aut hoſti videretur fugiſſe. Quia ob hoc ipſum, quod ad fugam nihil eſſet reliqvum, ultimaque inſtaret neceſſitas, cur, inquiebat, retrocedimus, & non in hoc potius veſtigio, quam centum paſſus poſt nos, vel generoſe vincimus, vel, ſi Deo ita viſum, glorioſam mortem, ſicut viros Suecosque decet, oppetimus?

V, Ducem ad hæc & magiſtrum, Carolus avunculum ſuum habuit, Guſtavum Adolphum. Cujus fortitudinem virtutemque ne illi quidem ipſi, qui adverſam ſibi ſunt experti, non cum admiratione ſumma laudeque poſſunt memorare. Nolo recenſere, quæ ipſius ductu ac imperio ſunt geſta, propria illius extant facta, quorum gloriam nulla temporum longinquitas imminuet. Certe in Mariæburgi, quod Boruſſiæ munimentum eſt, obſidione oppugnationeque ipſe inter primos dicitur dimicaſſe, vulnusque grave in pectore accepiſſe, cujus hodieque monumentum veſtis perforata, regioque tincta ſanguine ſervatur. Ita ſunt, qui eundem in Germania, cum arcem Wurtzburgenſem vi invaderet, nonum ferant fuiſſe, qui per ſcalas in murum hoſtilam propugnaculaque animoſiſſime evaſerit. Eidem, cum ad Ingolſtadium Bavariæ cum pauciſſimis circumiret mœnia exploratum, eqvus, cui inſidebat, tormenti globo prope ſuram ſuam trajectus periit, ipſeque in terram lapſu ejus proſtratus fuit. Ad quem caſum redux in caſtra voce memorabili, ſcire ſe mortalem ſeſe,

nec

nec huic legi, cui juxta cum viliſſimo ex gregariis ſuis ſit ſubjectus: vel genus ſuum regiumque nomen: vel victorias tot ac tantas poſſe intercedere. Se tamen fiduciam in Divina bonitate repoſitam habere, proque cauſſa juſtiſſima, quam pridem Deo conſcientiæque ſuæ probaverit, libertateque tot oppreſſorum per Germaniam piorum, quicquid in adverſum calumnientur inimici ſui pugnare, ipſamque mortem, ſi Deo ita viſum ſit, oppetere paratum eſſe. Nec fefellit fidem. Nam in acie poſtrema, quam ad Lutzam habuit cum Cæſareanis, in ipſa fronte Smalandenſes adverſus hoſtem ducens, acerrimeque dimicans, brachio primum, mox pectore capiteque globo plumbeo trajecto, nec eo ſecius hoſtium ſuorum victor, ingenti cum Cæſareanorum ſtrage glorioſiſſima morte occubuit.

VI. Non minore laude fortitudinis ejus avus floruit Guſtavus primus. Cujus documenta primum dedit ſub Stenone Sturio juniore, cujus ipſe vexillum imperatorium, quod obſervare cætera totius aciei tenebantur, in prælio acerrimo, inter Suecos Danosque prope Brennekirkam commiſſo, tenebat. Certe ipſius virtuti non exiguam partem tributum eſt, quod plerique Danorum ibi cæſi, reliqui conjecti in fugam, cum ipſo Chriſtierno rege ſuo Suecia excedere neceſſe habuerint. Idem cum ad liberationem patriæ ferretur toto animo, ſemper ſtrenuus, ſemper promtus pericula quantacunque contemnebat. Quomodo in prælio ad ædem S. Olai, in diſtrictu Balungenſi poſitam, contra quoque preces ſupplicationesque, ac poſtremo lacry-

mas

mas propemodum eorum, quibus cura corporis ipſius ab univerſis civibus commiſſa fuit, equo provolavit ad principia, ſeque primis decertantium immiſcuit, ne inſcitia ipſorum victoria pulcherrima, quam intelligebat ſe in manibus habere, perderetur.

VII. Regum iſta virtus fuit: videamus aliorum. Cum Guſtavus Adolphus prope Oppenhemium Germaniæ ſuperioris oppidum trajicere cum exercitu conſtituiſſet Rhenum, eſſetque per adverſam omnem ripam hoſtis diſpoſitus, qui eum tranſitu prohiberet, miſit ad aperiendam ſibi viam Nicolaum Brahe, comitem de Wiſingsborg, Hic captis duobus navigiis, impoſitisque paucis ſuis equitibus in oppoſitum contendit littus, atque quatuordecim vexilla equitum hoſtilium, tertia vice impetum facientia non ſuſtinuit ſolum animo generoſisſimo, ſed & fortisſime ad poſtremum represſit, atque ita Regi cum copiis univerſis tranſitum difficilimum patefecit.

VIII. Venit in hunc cenſum virtus animoſitasque Benedicti Lille. Cum enim Severinus Norby, qui addictus Chriſtierno, partes Danorum adverſus Guſtavum primum acerrime tuebatur, cum trecentis armatis exſcendiſſet in littus haud procul arcem Stegeburgum, ſuos ibi ab obſidione Suecorum liberaturus, & Arvidus Weſtrogothus cum triginta, itemque Nicolaus Calmarienſis, ambo promtiſſimi bellicoſisſimique viri, cum fere totidem militibus feciſſent impetum in eum, atque cum trecentis ſuis dediſſent in fugam, & ad mare uſque proſecuti eſſent, inque trepidatione illa Severinus ipſe

per

per ſtagnantes aquas equo contendere ad naves ſuas paulo longius diſtantes cogeretur, memoratus Benedictus Severinum proſecutus ſolus cæpit adoriri, & in ipſis aquis impeditum arcu ſuo, quem temporum illorum, & præcipue Dalekarlorum more habebat, ex ferro validum, ter quater totis viribus verberare. Neque liberaſſet Severinus ſeſe ab ipſius manibus, niſi conſternati ducis ſui ultimo diſcrimine, qui fuerant in claſſe, ſubmiſiſſent ſcaphas aliquot, eumque imminenti morti eripuiſſent. Quod animoſum facinus Benedicti admiratus, alta voce dicitur, cum reverſus ad ſuos eſſet, prædicaſſe Severinus ipſe, quod unicus ſolusque adverſus eum in conſpectu oculisque clasſis hoſtilis, in medio aquarum, promtitudine tanta ſuſtinuiſſet pugnare, dignumque decem militum ſtipendio pronunciaſſe, quod eidem dare paratus ſit, ſi relictis Guſtavi partibus, amplecti ſuas, ſeque ducem ſequi voluerit,

IX. Eſt & Caroli cujusdam ex clarisſima quondam inter Succos Forchungorum gente oriundi celebris fortitudo. Metu is Waldemari Regis & Birgeri ducis, quem habebat æmulum potentiæ dignitatisque, profugus ex patria venit in Borusſiam, ibique fortiter adverſus Littuanos in exercitu Chiiſtianorum ex Cruciferis, ut vocant, fratribus collecto militabat. Accidit, ut quodam prælio à paganis urgerentur Chriſtiani. Ergo qui vicini Carolo in pugna erant, ipſum adhortantur, ut, quando eſſet peregrinus, nec privatim illi militiæ dediſſet nomen, verum ſponte ſua, milesque non ordinarius ſed voluntarius adventaſſet, reciperet

ſeſe

ſeſe, imminensque vitæ diſcrimen evitaret. Ad quod ipſe: Cur ergo idem vos non facitis? Cumque illi: Non licet nobis juramento ad hoc obligatis, & ſperamus poſt hanc vitam meliorem aliam. Ego quoque, reſpondet, cupio pro Chriſto mori, & dein cum ipſo vivere. Poſt quod dictum irruens in hoſtes confertiſſimos, telis undique in ipſum directis confoditur, vitamque glorioſiſſima morte permutavit.

X. Quam Carolus generoſa mente propter Chriſtum contemſit mortem Chriſtianus, eam neglexit Hagen rex paganus, propter corpus male affectum, neque uſui amplius futurum. Nam cum in prælio cum Jorundo graviter fuiſſet vulneratus, ſic ut vulnerum curationem & reſtitutionem valetudinis non poſſet ſperare; ſe ipſum navigio armato juſſit imponi cum ſpoliis a ſe captis plurimis, dextraq; ſua interfectorum cadaveribus. Sublato deinde velo iter direxit in mare, navigioq; ignem plurimum immiſit. Sic inter illuſtria victoriarum ſuarum monumenta lætus lubensq, crematus, ſpiritum, quem morbo dolorique debebat, flammis reddidit. Qua re nihil illis temporibus animoſius glorioſiusve habebatur.

XI. Publica hæc omnium de contemnenda morte iſtiusmodi ex cauſis inter paganos ſententia, etiam mulierum ambitionem animavit. Nam Aaſa cognomento Ildrade, Ingialdi regis filia, cum imminere ſibi patriq; ab Iſſuaro Daniæ rege ultima videret, ne veniret viva in manus hoſtium, aut haberet victor, de quo poſſet gloriari, amicos omnes miniſtroſq; ſuos convocat

cat in regiam, poculisque multis ad hilaritatem invitatos inebriat. Poſt omnibus potu epulisq; marcentibus, quicquid habebat rerum pretioſarum, congerit in cumulum, ſeque, & patrem, amicos cum omni ſua ſuppellectile eodem igne abſumit. Cui facinori ut ratio defuerit, ita animum periculorum contemtorem adfuiſſe, nemo utique negabit.

XII. Sed paganos omittamus, & virtutem videamus cæterorum. Ejus certe documentum non exiguum habemus in Nicolao Achatii, & quibus præerat, ſexcentis admodum equitibus, centum peditibus Succis. Occurrerant hi tempore Johannis Regis ſedecim millibus Ruſſorum, qui poſt occupatam arcem Wittenſtenium in Livonia diripiebant omnia, latisſimeque nominis ſui terrorem circumtulerant. Neque mora; fit prælium ſeptingentorum Suecorum adverſus millia ſedecim adverſariorum, tanta promtitudine alacritateque, ut ſeptem millia Ruſſorum cæſa procubuerint, cæteri fuga quærere ſalutem compulſi ſint. Nec infructuoſa fuit victoria; ſupra mille trahæ omni rerum copia opulentæ direptæ, præda ingens coacta eſt.

XIII. Simile exemplum fortitudinis Steno quidam præbuit cum militibus viginti. Cum enim hi Birgeri regis nomine in Ruſſiæ vicinia ædificatam arcem Landscronam tenerent præſidio cum nonullis aliis, Ruſſique ingenti exercitu eam obſeſſum venirent, Steno adventum eorum edoctus, cum viginti illis arcem eſt egreſſus, explorandi gratia. Cognoverant id Ruſſi, atque ideo Stenonem inſidiis circumvenire paraverant.

Nec

Nec elabi Steno. Quare ſuos ad rem ſtrenue gerendam adhortatus, inſtar feræ generoſæ impetum in oppoſitos facit, atque licet magnis Ruſſi clauſum eum haberent agminibus, quicquid obſtat perrumpit, ferroque ac virtute viam ſibi ad ſuos aperit. Cujus miratione reverentiaque fuit nemo ex omni hoſtium multitudine, qui morari evadentem auſus fuerit.

XIV. Recte junxero huic ut æqualem temporibus Matthiam Ketelmundi. Tenebant Ruſſi cum decem millium equeſtri exercitu ſylvam aliquam Careliæ, e qua cum extrahi non poſſent, Matthias ille, ſicut erat ſtrenuus ac fortis, & proinde rei nullius minus patiens, quam moræ, Imperatorem ſuum adit, petitque veniam, ut provocare ſibi liceret, quo cum ex hoſtibus ſingulari certamine congrederetur. Annuit his ejus deſideriis Imperator, ſucceſſusque proſperos illi adprecatur. Ergo confeſtim equo advolat ad ſtationes hoſtium, darique ſibi voce ſublata poſtulat, quocum certamen de fortitudine iniret; ſe ſuo monſtraturum exemplo, quanto virtus militis Suetici ſuperior ſit inſolentiæ Ruſſorum. Verum nemo hoſtium contra procedere auſus fuit, ac cum eo prælium committere. Ideo per diem integrum ad veſperam caſtris eorum obequitans, fruſtraque expectans, ingenti cum virtutis ſuæ gloria revertitur, hoſti vero tantum incuſſit timorem, ut nocturno tempore ſylvam deſeruerit, caſtraque ſua proculque a Suecis exercitum ſubmoverit.

XV. Agebatur hic de ſerio certamine, at in exemplo, quod ſubjiciam, de ludicro, in quo nihilo de-

teri-

terius fortitudo Suetica ſe præbuit conſpiciendam. Convenerant in regni ſui finibus Magnus Suecorum, & Ericus Danorum reges, pacem inter ſe concordiamque firmaturi. Negotio feliciter confecto, dum ſe variis oblectant ſpectaculis, venit ad ultimum quidam Magnus Dyſevald ex Danis, provocatque ad certamen equeſtre, ſi quis eſſet Suecorum, qui contendere ſecum curſu haſtaque auderet. Atque fuit ipſe magnitudine roboreque corporis ante alios inſignis, inſuper peritus valde artis, ac ob id immodice ſuperbus. Cæteris igitur Suecorum tergiverſantibus, alioque in alium reſpicientibus, procedit quidam Erengiſſel Plata, ſeque certamini offert. Conſcendunt ambo equos, haſtas dirigunt alter in alterius ora. Neque mora. Primo concurſu Dyſevaldum Plata tanta dexteritate fortitudineque ferit, ut excuſſus longo poſt equum ſpacio humi jaceret, magno cum rubore gentilium, Plataque equum ejus, præmium victoriæ, ſicuti convenerant, triumphans ſecum ad Suecos ſuos abduceret.

XVI. Sic Plata Dyſevaldi, vir viri retudit ambitionem. At temporibus Sigismundi regis etiam mulier id fecit. Cum enim ſequenti coronationem ejus die varia inſtituerentuu ludicra, interque illa decurſiones equeſtres, ex Polonis quidam animo elatior ante ora oculosque omnium obequitare, provocareque ad certamen plurimos Suecorum. Faſtum hominis ægerrime tulerunt, quotquot aderant. Ergo ut egregie ulciscerentur dedecus, quod afferre nomini Suecorum cogitabat, virilis prorſus animi audaciæque feminam exti-

mulant ad ineundum cum Polono id certamen. Ornatur ipſa habitu militari, galea videlicet, thoraceque, cæterisque armis, quibus mos eſt, in decurſionibus ejusmodi. StadiumPolonus velut cum viro pugnaturus ingreditur. Fit concurſus totis viribus. Mulier ſub viri ſpecie ſuum tanto robore adverſarium petit, ut excuſſus equo procidere ad terram cogeretur. Quo facto ipſa galeam confeſtim detrahit ori, excuſſisque, quos collegerat in nodum, crinibus, non a viro ſuperbiam Poloni, ſed a femina Suecanæ gentis demonſtravit caſtigatam. Quæ res ſicut ipſi ad admirationem ſummam, Suecis vero ad gloriam ingentem profuit, ita Polonum riſui omnium ac ludibrio expoſuit.

XVII. Facit iſthæc animi virilis femina, ut minime pro fabula haberi poſſit, quod de Torberga, regis Erici filia referunt memoriæ antiquæ. Dicitur fuiſſe proles ejus unica, & ſic regni paterni hæres ex publica temporum illorum conſuetudine fieri debuiſſe. Quare cernens illa, quantum inter tot circumjectorum regulorum æmulationes odiaque regi virtus militaris eſſet neceſſaria, curis muliebribus abjectis, totam ſeſe tradidit virilibus negotiis, ac pugnare, vibrare haſtam, equum regere, aliasque id genus artes bellicas addidicit. Mox adſcito fortiſſimo quoque ex Suecis obtentam a parente vivo adhuc regni partem ipſa regio nomine gubernare incipit, ſeque plane viri legisque inſtar gerit in omnibus. Erant multi, qui cum forma, tum virtute puellæ victi, ambirent ipſam, nuptiasque illius animo conciperent, quos ipſa cunctos riſu jocoque, aliquando etiam verborum

tum contumelia, velut impares ignavosque a ſe rejecit. Ad poſtremum venit Rolfo, Weſtrogothorum rex, quocum eadem quærente acerrimum commiſſit prælium, magnaque virtute repulſum cum ſuis recedere coegit. Donec ab eodem majoribus firmato copiis non per amatoria blandimenta, verum armis ferroque ſuperata concedere in poteſtatem ejus, & conſentiente volenteque patre illius matrimonio eidem ſeſe jungere adacta fuit.

XVIII. Addam vetuſtiſſimo exemplo noviſſimum, noſtraque memoria obſervatum. Erat ruſtici cujusdam pauperis filia, quæ ſive tædio ſervitii durioris, quod præſtare cogebatur aliis, ſive rerum ſtudio voluptateque militarium, diſſimulato ſexu nomen ſuum inter milites, qui forte ſcribebantur, non eſt verita profiteri. Igitur recepta, pro viro cum cæteris in caſtra ducitur. Bellum Carolum Guſtavus tum gerebat adverſus Polonos, in quo per annos pluſculos omnia gregarii militis munia cum in excubiis, tum in velitationibus præliisque obibat dexterrime. Deprehenſa nemini, ac ne illis quidem, quibuſcum in eodem contubernio vivebat. Poſtremo commilitonum aliquis neſcio quid ſuſpicatus paulo curioſius obſervare illam. Neque potuit diutius fallere attentum nimis ad omnia. Itaque ne ſe proderet cæteris, ab eo multis precibus contendit, proque hoc beneficio copiam ſui facturam ipſi policetur. Interea domum revertitur, ruſticum quendam accipit hoſpitem, cum quo vivit titulo ſpecieque famuli, nec mulier, multoque minus gravida intelligitur, adeo cum ruſtica familia

quicquid fuit operum pari cura & induſtria expedire conſueverat. Proſtremo in vicina ſylva, quo receſſerat paulisper, puerum enixa, & ab ipſo ſurgens partu, editum a ſe infantem callide mentitur inventum, delatumque ad tugurium nutriendum mulierculæ committit, præmium pollicitus pro labore. Miſerationem omnes interpretabantur, quod fuit pietas in ſobolem propriam. Neque res eſt intellecta, priusquam is, quocum conſuetudinem habuerat, ipſam forte reperiſſet, remque omnem divulgaſſet. Cujus admiratione a captivitate, in qua velut ſcortum ſub virili habitu latens, omnesque decipiens, tenebatur, liberata etiam nunc ſuperſtes eſt, depoſitoque viri nomine habituque vivit inter fæminas.

GRAVITER DICTA FACTAQUE CAP. XVI.

QUod in bellis fortitudo eſt, hoc cæteris temporibus eſt magnitudo animi gravitasque. Illa enim efficit, ne quid faciamus dicamusve usquam, quod cum honeſtate vel dignitate noſtra pugnet. Cujus amore ſtudioque omnes etiam labores, omnia pericula contemnimus, nec a gradu ſemel capto per quamcunque adverſariorum vim aut repulſam ſinimus nos dimoveri. Sicut ex ſequeutibus facilime colligitur.

I. Mortuo Erico rege, filio Canuti, ſucceſſor in incerto erat, quia nullos liberos reliquerat. Itaque Ivarus Blaam de Grœneborg, cujus inter regni proceres præcipua tum erat auctoritas, Waldemarum, filium Birgeri ducis, rem eo tempore contra Tavaſtenſes publico

co nomine fortiter proſpereque gerentis, fieri regem curat. Id ejus factum patri Birgero domum reduci vehementer diſplicuit. Quippe captus ipſe regni ſpe ac æger, animo haud æquo ferre poterat, filium ſibi antelatum. Quodam tempore cum eo nomine cum Ivaro contendiſſet verbis, electionemque illam facere irritam allaboraſſet; Ivarus gravitate ſumma oris animique, ergo, ait, quando tu repudias honorem filio tuo habitum, tu cum filio tuo valeas. Nos rebus regni noſtrisque aliter proſpiciemus. Hic Birgerus, qui ſpe pæne certa regnum devoraverat, quemnam ergo ſumturi eſtis regem? ſe expectans nominatum iri: at Ivarus, vel ex toga hac (in ſuam propriam digitum intendens) aliquem depromam. Qua dicti gravitate ac conſtantia Birgerus commotus in electionem filii conſenſit.

II. Eadem in Engelberto Dalekarlo virtus. Viderat is ægro animo præpoſitum popularibus ſuis ab Erico Pomerano contra fidem publice datum, contra pacta regnique conſuetudines quendam Jœſſe Erichſonium, gente Danum, qui non in bona modo plebis pauperculæ, verum ipſa quoque corpora immanitate incredibili ſæviebat, nilq; quidquam cuiquam ſinebat eſſe ſalvum. Ergo hac injuria commotus Engelbertus proficiſcitur ad Ericum regem peregre tum agentem, atque Jœſſe illum graviter & ex merito incuſat, petit deinde, ut ad dicendam cauſſam rex eum accerſat, ſe præſenti coram probaturum cuncta incuſationis ſuæ capita, pignorisque loco ſi in ullo fallat, ipſum ſe ac vitam ſuam offert. Rex querelis iſtis parum motus, litteras tamen

 tra-

tradit Engelberto, quibus ex Senatu nonnullis præcipit, ut rem omnem cognoſcant. Fit, ut rex mandaverat, verum quoniam ſententiam de Jœſſe ferre juſſi non erant, omnem eam rejicere ad regem cogebantur. Itaque conditionem nudam una cum Senatorum litteris Engelbertus regi offert, petitque ſimul meritam flagitiis impuriſſimi hominis imponi pœnam. Reſponſum de die in diem protrahitur. Cum ſe mora Engelbertus cerneret eludi, acrioribus inſtat verbis, regemque admonet officii. Hic rex excandeſcens velut importunum eum, & aſſiduis querelis aures regias gravantem jubet faceſſere, nec reverti amplius in conſpectum ſuum. At ea regis ira nil deterritus Engelbertus inter abeundum, ego vero nunc abibo, ſed ſi ſalvum me permittent fata, ſuo tempore vel invito tibi revertar. Nec feſellit. Suam namque pariter publicamque libertatem collecto juſto exercitu acerrime adverſus oppreſſuras ejus vindicavit.

III. Revocat hæc animoſa Engelberti oratio in memoriam mihi, quod de Torguy, judice provinciali Uplandiæ in antiquis legimus memoriis. Erant inter Olaum Skautakonung Sueciæ, Olaumque alium, cognomento craſſum Norvagiæ reges bella diuturna de limitibus regnorum, quæ utrinque magnis animorum, motibus geſta effecerunt, ut Olaus Sueciæ, Olaum Norvagiæ odio proſequeretur implacabili. Quærebat quidem ſæpius Olaus Norvagiæ, ſicut erat vir non magis bello ſtrenuus, quam pius ac religioſus, quomodo componi hoc certamen poſſet. Verum Olaus Skautako-

nung

nung ob conceptum alte odium, pacem reſpuebat omnem. Poſtremo rex Norvagiæ per certos fidosque homines inſinuare ſe in animum amoremque Sueciæ regis filiæ, per cujus nuptias conficere negotium ſperabat. Sed ne ſic quidem vinci pervicacia Olai Sueciæ regis poterat. Quare cum viderent Senatores regni, quantum quotidie funderetur ſanguinis, quantum damni cunctis inferretur per continua hæc bella, ſuadent regi in ſolennibus comitiis, ut iniret pacem cum Olao Norvagiæ, ac in pignus amicitiæ, vinculumque publicæ quietis daret ei filiam in matrimonium. Verum & hoc rex cum ſtomacho excepit, velut ſibi regnoque parum fidos, & a filia ſua, regeque Norvagiæ corruptos. Igitur poſtremum Torgny non dignatione magis, quam ætate venerabilis multa cum verborum gravitate regi animum a legibus & conſuetudine majorum exprobrat alienum ac degenerem, ſuisque ſententiis adverſus omnium ſuorum voluntatem unice ac pervicacitèr inhærentem ſumma regni totius civiumque omnium cum pernicie. Atque tandem, Si tu, ait, pacem facies cum Norvagiæ rege, filiam ei tuam dabis in matrimonium, nosque a tam diuturna bellorum liberabis calamitate, ultro paratos nos habebis ad omnia, quæ ſe re tua regnique, ac dignitate omnium futura ſunt. Sin privato Norvagiæ regis odio, ſolaque animi tui pertinacia perges adſpernari amicorum omnium conſilia & vota, ſalutemque civium cunctorum impie contemnere, facturi ea ſumus, quæ nos vel cum malo tuo poterunt in ſtatum priſtinum reſtituere. Hac viri ſpectatiſſimi liberrima gravitate com-

motus rex Olaus votis civium ſuorum non adverſaturum ſeſe adfirmavit.

IV. Dabo aliud, quamvis in re triſtiori, gravitatis & conſtantiæ exemplum. Chriſtiernus, propter operum immanitatem, diritatemque animi tyrannus nuncupatus, proceres pleroſque regni Suetici convocatos Holmiæ, velut hoſtes publicos, & juris qaod in regnum habeat, perpetuos interverſores ultimo ſupplicio addixiſſet, erat inter eos etiam Vincentius, Epiſcopus Scarenſis, cujus opera potiſſimum in regnum Chriſtiernus revocatus fuerat. Hic una cum cæteris, credo, quod vel beneficium illius odio haberet Chriſtiernus, quoniam exſolvere non poterat, vel metueret, ne, qui dediſſet regnum, idem facili ex cauſſa poſſet etiam eripere, in forum tractus ad carnificem, graviſſimum de ſua innocentia ad circumſtantes habuit ſermonem. Nam quia Nicolaus Lyke Danus ad confluentem turbam, pauculos ſeditioſos merito ſupplicio a rege affici ad conſilium precesque Archiepiſcopi, cujus arcem Staket contra fas & fidem regno regique debitam diruiſſent, maxime cum ſit compertum, ſuppoſito arci pulvere tormentario clanculum, propoſuiſſe regem nihil inimici ſuſpicantem tollere e medio: Vincentius Epiſcopus alta liberaque voce, iſtæc vero cuncta mendaciſſime (de ſe cæterisque regni proceribus, ut libertatis patriæ amicis a rege impiiſſime conficta eſſe, quo tollerentur uno ictu, quotquot obſtare tyrannidi crudelitatique ſuæ videret. Ergo jure ſuo poſtulare, ut vel intentati criminis convincatur, vel ſi, quemadmodum ſit certus, fieri hoc nequeat, cives om-

omnes hanc adverſus ſe aliosque innocentes commiſſam atrociſſimam injuriam vindicare ne omittant. Poſtremo Deum ipſum juſtum implorabat ultorem, quem nec hic, nec olim, poſt hanc vitam ſcelus iſtoc ultimum tyranni ſciat confidatque impunitum eſſe relicturum. In qua libertatis gravitatisque plena voce ſpiritum gladio carnificis interciſum non ſine admiratione omnium emiſit.

V. Parum huic diſſimilis fuit gravitas Johannis tertii, ducis adhuc ſub Erico fratre. Nam detruſum in carcerem ſive ſubornatus ab aliis, qui ſubminiſtrare cauſſam Erico irato contra fratrem cubiebat, ſive propria ingenii malitia. Johannes Bartholdi quidam, regi propter jocos inter ludiones aulæ carus, inſimulabat, velut imperium Erici non ultra proximum Michaelis feſtum duraturum, prædictione plena bonæ ſpei, & ad ſtudia novarum rerum plebem irritante divulgaſſet. Quod cum eſſet impuriſſimum mendacium, Johannes tum captivus licet, atque inviſus Erico, libere ad regem, omnia hæc ſceleſtiſſime de ſe conficta eſſe ſcribit, uti nullo ſuo merito ſuſpectus fieret, perditiſſimorum hominum induſtria, qui concordiam fratrum ſibi viderint exitio futuram. Quare fidem ne his tribuat Rex frater, ſe ſuppliciter orare. Culpam vero deprecari nullam poſſe, quam nullam unquam admiſerit. Poſtremo addit: Etiamſi diabolos omnes adverſos mihi haberem, Dei tamen ope dignitatem & exiſtimationem meam tuebor ad extremum uſque ſpiritum. Quæ ipſius plena generoſæ gravitatis propria fuerunt verba.

VI. Gravitate ac conſtantia ceſſit nemini Jacobus dela Gardie, ſummus exercituum ac militiæ in Regno Sueciæ Præfectus. Cujus rei prorſus memorabile hoc legitur exemplum. Miſſus fuerat a Rege Carolo ad liberandum Magnum Ducem Moſchoviæ Baſilium ex obſidione, qua tenebant eum clauſum Rocinski, atque centum millium Polonicæ gentis exercitus. Rem confecerat ut ſumma fortitudine, ita incredibili ſucceſſu. Quare Dux Baſilius incomparabilem virtutem viri admiratus cernere coram deſiderabat, cujus promtitudini tam rarum beneficium deberet. Venerat Jacobus militrai conſuetudine, ac, ut decebat ducem tantum, gladio accinctus, Itaque qui miſſi erat ad ducendum eum in conſpectum Baſilii, primum petere, ut gladium deponeret; cumque ipſe rogaret cauſſam, hanc reſpondent legem eſſe publicam, ne quis Ducem Magnum adeat armatus, neque poſſe admitti, niſi ſe præſtaret illi obſequentem. Ad quam vocem Jacobus: Hic eſt gladius, quem pro dignitate gloriaque Regis mei per tot annos geſtavi, quo paulo ante vos, Ducemque veſtrum ex discrimine ultimo in hanc libertatem aſſerui. Eum ego ut deponam nunc veſtra nulla lege conſuetudineve adigar. Quare Duci veſtro dicite, ſi confabulari, niſi cum inermi, nolit, ſe jamjam diſcedere paratum eſſe. Audiverat interea Jacobi ſermones cum ſuis Dux Baſilius. Quare hac conſtantia ipſius ad majorem admirationem verſus præcipit, ut ne longius ipſi exhiberent moleſtiam, ſed confeſtim vel armatum ſinerent adire. Sic Jacobus generoſitate animi conſtantiaque ſermonis obtinuit,

nuit, quod nemini ante, nemini poſt ipſum fuit indultum, ut accinctus gladio armatusque cum Magno Moſchoviæ Duce in colloquium veniret.

VII. Non diſſimilis Bannerii conſtantia laudem ac memoriam meretur apud poſteros. De hybernis convenire cum Joh. Georgio Saxoniæ Electore poſt Guſtavi Adolphi Regis obitum debuerat. Saxo vacillans jam, conſilia circumſpectans prioribus diverſa ſubmotum regione ſua cupiebat. Scriptæ tabulæ de illa re, interque pocula traditæ Bannerio, ut gravatus vino, atque ſic incautior ſubſcriberet. Sed cum inter legendum animadverteret, peſſime in illis tabulis conſultum eſſe rebus ſuis, ſubſcribere ſe negavit, abitumque ab Electore petit. Ea res male habuit Electorem. Quare advocatum Bannerium verbis increpavit prorſus duris, atque niſi cum ſuis exiret regione iſta, ſe vero vi ejecturum minatus eſt. At Bannerius minime turbatus, fruſtra hoc minari Electorem, poſtquam teneat cum exercitu Erfordiam, quam qui eripere ſibi tentet, eum ajebat perditurum ſuos digitos. Elector multo etiam commotior, quærit, num minetur ipſi digitisque ejus? ſe niſi diſcedant Sueci ſolo Germanico, daturum operam, ut præcipites inde abigantur. Nihil tamen valuit adverſus Bannerium, qui eo magis gentis ſuæ Regisq; merita in Germaniam Electoremque prædicavit. Qua conſtantia vicit poſtremo Electoris animum Bannerius, & obtinuit, ut non modo ſententiam priorem mitigaret, ſed & bona cum gratia ipſum a ſe dimitteret, deque hybernis pro conditione temporum reque ſua ſineret ſtatuere.

VIII.

VIII. Licet jungere his Nicolaum Stiernskiœld. Tenuerat Dunemundenſem arcem in Livonia temporibus Caroli Noni cum præſidiariorum manu valida adverſus Polonos, per annum fere integrum, multisque hoſtes cladibus affecerat. Interea accidit, ut Parnoviam traditione occuparent Poloni, ubi Niclaus conjugem liberosq; velut in loco tuto, repoſitos habuerat. Hanc Poloni rati optimam expugnandi Nicolai occaſionem, nunciant, ſe captivos uxorem ejus liberosq; in Poloniam miſſuros, niſi arcem confeſtim traderet imperio eorum atq; poteſtati. At vero Niclaus magno animo: uxorem liberosq; ſuos eſſe, arcem vero quam præſidio teneat, pertinere ad regem. Non ſibi fas eſſe, regis ſui rebus, ſuas ſibi res redimere. Quare ſi ſuarum facultatum quidpiam pro eis exegiſſent, facilem ſe fuiſſe futurum ad omnia. Nunc perfidia ſua Regis bona nunquam diminutum iri. Facerent, quod ipſis videretur, militibusq; honeſtis dignum eſſet. Se ad ultimum pro Rege ſuo arcem defenſurum. Hac conſtantia ipſius effectum eſt, ut paulo poſt uxorem liberosq; optime ac benigniſſime habitos Nicolao absq; prétio remitterent.

IX. Claret hujus gravitatis ac conſtantiæ commendatione nomen etiam Martini Helſingi, Regis Erici ut appellant Secretarii. Licet enim probe cognitum haberet, quanto Rex accenſus eſſet odio in Johannem fratrem, tamen cum in caſtris adſtante Rege aliquando emiſſus eſſet e tormento globus ingens ferreus, Rexque adderet, utinam hic medium perrumperet Ænobarbum,

quo

quo vocabulo per convicium indigitare Johannem ſolebat; Martinus graviter ad Ericum, abſit vero longe malum hoc a fratre tuo, Principe integerrimo, potiusque incidat in Georgium Petri, qui has inter te ipſumque ſui commodi gratia diſcordias hucusque ſeruit. Et adſtabat tum is Georgius, per calumnias, quibus quotidie ſuſpectiorem faciebat Johannem, Erico regi carisſimus. Verum eum neque ira regis præſentiſſima, neque inimici odium & indignatio cohibuere, quo minus vocem mitteret cum iniquiſſimo regis dicto, tum ſuæ rectitudini gravitatique aptiſſimam & convenientiſſimam.

X. Singulorum hactenus commemoravimus exempla; dabimus nunc juncta plurium. In his numerandi Ruſtici Ecclesiæ Wakſalenſis, quæ vicina eſt Upſaliæ. Nam cum Johannes Rex in gratiam uxoris, Pontificiæ religioni deditæ, divulgari paſſus eſſet librum quod plurima ſanctorum nomina minio haberet ſignata, rubrum vulgo appellabant; temporumque illorum Archiepiſcopus Laurentius Petri gratiæ ac munificentiæ Regiæ aucupandæ cauſſa vivere, ac celebrare ſacra ſecundum libri ejus formulam univerſos vellet, ruſticis Eccleſiæ dicta minitabundus ſignificari juſſit, quo terrore conſequeretur, quod ratione non poterat, aut recipiendam ipſis eſſe formulam a Rege præceptam, aut carendum uxoribus, quas Rex inobedientibus eſſet abducturus: Plerique voce animoſa concordique, non uxores modo, ſed & quiduis aliud, vitamque ipſam prius tradere paratos eſſe, quam omitere vel minimum co-

eorum, quæ conformia Divino verbo, ſolaque pia & proba eſſe didiciſſent.

XI. Non recedit multum, quod nunc ſubdo, de plebe Dalekarlorum. Miſerat ad ipſos Sigismundus poſt reditum in Sueciam, qui abſtraherent a fide, quam Carolo patruo ejus contra iniquas Polonorum machinationes dederat. Inter cæteros Ericus erat Abrahami, qui oratione luculenta cum alias Sigismundi virtutes celebravit, tum vires ejus ac exercitus ſupra modum extulit & amplificavit. Habere præter Poloniam Lituaniamque, multos alios Principes amicos ſociosve. Finlandiam totam ſtare ab ipſius partibus. Ipſum Sueciæ regnum diſtractum in partes eſſe. Inter hæc elevabat Carolum, & quem tanti regis exercitibus opponat militem, habere nullum affirmabat. Poſtremo addit, eſſe neminem, qui faciat cum ipſo, præter ſolum unicumque Deum. Ergo, reponebant Dalekarli, quia Deum Carolus faventum ſociumque habet, nos quoque in ipſius partibus manebimus. Qua conſtanti maſculaque voce, velut fulmine perculſus Ericus cum ſociis diſcedere, Dalekarlosque incorruptos omittere coactus eſt.

DE FIDUCIA SUI

CAP. XVII.

GRavitati non abſimilis eſt ſui imperterrita fiducia, quam plerumque innocentia ſæpius ſingularis magnitudo animi ex conſcientia cœleſtis gratiæ creare conſueverunt. Nam qui propitium ſibi Numen per eventus lætos arduis ac difficilibus in negociis

ciis expertus ſemel iterumque fuit, eum mirifice firmare valet iſta præſentiæ ejusdem ſpes ad contemneda quælibet deinde pericula, magnoque animo audenda ea, quæ videri poſſent temeraria, niſi hoc conſilio ſuſciperentur. Sed & innocentia fiduciam præſtare ſolet libere agendi loquendique adverſus criminationes vel ſuſpiciones quaſuis etiam ubi cæteris præſidiis eſt deſtituta, & a ſeſe ſola ſecuritatem impetrare cogitur. Res exemplis cognoscetur.

I. De Weſtrogothorum rege quodam veteri Gautho memoratur in antiquis monumentis, cum pro conſuetudine illorum temporum iviſſet venatum, cervo a ſe excito vulneratoque inſtantem aberraſſe a ſuis, & in ſylvis profundiſſimis, cum jam imminerent tenebræ, audito forte canis latratu incidiſſe in tugurium aliquod longiſſime a cæteris aliorum hominum habitationibus remotum. Fores tuebatur ſervus validus, ſecurim dextra tenens, nec intrare volentem admiſſurus facile videbatur. Nec recedit tamen Ganthe, precibusve expetit hoſpitium, ſed vi ſubmoto ipſo perrumpit in ædes, offenditque ibi ſenem cum robuſtis quatuor filiis, totidemque filiabus. Actum fuerat de ipſius ſalute, ſi adverſus omnes in loco remotiſſimo ab omni aliorum hominum conſortio certamen ei ſoli contigiſſet. Neque eo minus ipſe incredibili fiducia commodum primo ſibi inter cætera, occupat locum: mox allata cœna, licet invocatus, menſæ accumbit, capit cibum; poſtremo in vicino lecto tradit ſe quieti, non aliter, ac ſi domi atque inter ſuos verſaretur. Qua fiducia inopinata plane ſenum

num cæteroſque ſic perterruit, ut non ſolum non affari eum quisquam tum auderet, ſed & mane ſequenti veſtimentis calcibusque inſtruere(ſuos namque inter vepreta laceraverat) & in viam reducere cogerentur. Adeo non violare ipſum dicto factove ullo, quamvis ſolum inermemque quisquam ſuſtinuit.

II. Licet obſervare parem in Rolfone animi fiduciam. Pugnaverat piraticam exercens more temporum illorum cum Asmundo, Scotiæ regis filio. Uterque quinque navibus concurrebant. Certamen erat acerrimum non de præda, ſed virtute gloriaque, quoniam alterum ſciebat inter ſummos belli duces ſua ætate numerari. Poſtremo Rolfo fit ſuperior, duas occupat Aſmundi naves alias, mox qua ipſe vehebatur, ſumma vi adgreditur, plurimos ex militibus ipſius cædit vel in mare dejicit, ipſum Aſmundum multis afficit vulneribus. Victoriam habebat in manu. Quia tamen Aſmundus initio certaminis non niſi pari navium numero, licet pluribus armatus eſſet, pugnare cum ipſo voluerat, ne vel hac virtute videretur inferior, ipſeque ſuam quoque memorabili argumento teſtaretur fiduciam, dat Aſmundo prope ſuccumbenti optionem, ut vel in præſens a certamine abſiſteret, naves ſuas integris cæſorum ſauciorumque loco compleret militibus, & ſic viribus reſumtis reverteretur ad prælium, vel ſocietatem cum ipſo atque amicitiam iniret. Nec Aſmundus dubitavit ſocium eligere, quam habere adverſarium, quem fiducia tam certa ipſam etiam fortunæ incertitudinem provocare auſum intellexerat.

III. Ste-

III. Stenoni Sturæ regni Sueciæ gubernatori nunciatum fuit aliquando, Chriſtierno Danorumque partibus favere Jacobum Archiepiscopum Upſalienſem, clamque agitare multa, quo adduceret in regnum. Itaque ad fidem patriæ debitam vi minisque ipſum, ſi nequiret aliter, compulſurus, copias nonnullas colligit, iterque ad Jacobum inſtituit. Neque ſegnior Iacobus erat, ut qui ſemper ante Stenonem ſuſpectum habuerat, ac velut gravem dominationi ſuæ odio proſequebatur. Quare Steno cum intellexiſſet eſſe paratum Archiepiscopum ad prælium, & veniſſet jam haud procul villa ejus, nemoque exſpectaret aliud, quam cruentum inter utrumque certamen, fiducia inuſitata plane incredibilique ſolus nemine ſuorum conſcio, ſolus inquam pergit ad Jacobum Archiepiſcopum in villa Neas prope Stækam cum ſuis agentem, iſtaque inopinata fiducia ſic commovit eum, ut ſublata ſimultate omni ac ſiniſtra de Stenone opinione in ſummam rediret cum eo gratiam, concorsque poſtea cum eo viveret. Sic quam victoria nulla potuiſſet, unius cordati viri fiducia, concordiam fidemque patriæ, ac ſalutem omnium incolumitatemq; reſtituit.

II. At vero tuam Guſtave prime, fiduciam quo prædicabo ſermone? Tu patriam tyrannidi Chriſtierni occupatam oppreſſamque liberare auſus, cum ne ſpes quidem ulla liberationis affulgeret. Tenebat cuncta tyrannus per arma præfectosque ſuos. Optimus ac promtiſſimus quisque procerum cæſi ferro, Plebis multitudo diris exactionibus enervata exhauſtaque, Neç

audebat quiſquam de remedio vel cogitare. Inter hæc Guſtavus nuper e cuſtodia elapſus, inops rerum omnium inermiſque revertitur in patriam, ingentique auſu ſeſe hoſtem Chriſtierni profitetur, pauculis, poſtremo agreſtibus collectis adverſus duplici armatum regno rem adgreditur vix ab omni rerum copia multiſque millibus inſtructo expediendam. Ita pulcerrimum imperium, quod partim exterorum ſævitia, partim ignavia metuve incolarum penitus collapſum erat, unius Guſtavi animus ingenti fiducia feliciſſime genti ſuæ reſtituit. Qui ob hanc virtutem merito ut novus Sueticæ libertatis gloriæque auctor celebratur.

V. Qua Guſtavus primus fiducia libertatem patriæ adverſus tyrannos domi, eadem, nec minori, Guſtavus ſecundus eam adverſus inſidiatores praveque cupidos aſſeruit foris. Qui namque auſus alias fuiſſet quinque admodum, vel ſi ſummum teferentes ſequaris, quindecim millibus tot veteranos victoresque Cæſaris exercitus, tot experientiſſimos ejusdem, famaque rerum geſtarum illuſtriſſimos duces, in ſolo hoſtili, ubi locum nullum ponendo veſtigio, niſi quem ferro ſibi ac victoria feciſſet, habiturus erat, adoriri? Sed hæc quidem fiducia ipſius ad bellum univerſum pertinet; illa ſpecialis ac ſeorſim memoranda. Venerat cum exercitu ad oppidum in ſuperiori Germania ſitum, Oppenhemium nomine, quod flumen Rhenus præterlabitur. Ripam adverſam tenebat hoſtis, ad quem profligandum exercitus trajiciendus fuerat. Sed nullus ibi pons, ac ne navigia quidem poterant haberi, corruptis omnibus

aut

aut detentis ab hoſte. Rex forte audiverat, vadum haud procul eſſe. Id ut exploraret ipſe, cymbam exiguam conſcendit cum tribus admodum aliis ex ſuis militibus, rapidiſſimumque flumen pererrat, donec inveniret locum ſibi indicatum. Atque ita, quod fando nunquam antea auditum fuit. cum omnibus copiis maximum Germaniæ fluviorum vado ſuperat, ſalvusque pervenit ad ripam alteram. Quod auſum prorſus incredibile ſingulari monumento poſteris hodieque commendatur, erecta pyramide, cui armatus leo cum galea enſeque inſidet, in eo ripæ loco, ubi cum exercitu exſcenſionem in terram fecerat Guſtavus.

VI. Nuſquam quoque alio, quam ad invictæ mentis generoſitatem, conſcientiæque optimæ fiduciam ingentem referendum arbitror, quod, cum Carolum nonum Guſtavi memorati patrem Chriſtianus quartus Daniæ Rex petiiſſet bello, perque proditiones in poteſtatem ſuam redegiſſet Calmariam, & arcem Elfſborgenſem, clauſtra regni Suetici, videreturque ad ulteriora perrecturus, is ipſe Carolus ſexagenario licet major Chriſtianum in florenti ætate conſtitutum provocarit ad certamen ſingulare, cujus eventus citra ſubditorum ſanguinem & direptiones provinciarum terminaret lites inter ipſos de inſignibus & finibus regnorum ortas. Scilicet ferebat ægre Princeps candidus erectusque, dolis ſibi eripi, quod argumentis idoneis virtuteve non poſſet, cauſæque ſuæ bonitatem etiam ſeni juvenile robur redditurum confidit, magisque ad Suecorum veterum illuſtria exempla, quam ſuorum temporum receptam conſuetudinem reſpexit.

VII. Sicut cæteris virtutibus, ſic animi fiducia majores ſuos vel æquavit Carolus Guſtavus Rex, vel ſuperavit. Igitur cum Polonia primum per ſpeciem perſequendi Caſimiri fraudulenter abductum in ultima terrarum ſuarum deſeruiſſet, mox Lithuania defeciſſet à data fide, Moſchus bellum intuliſſet civibus abſentis, alibique extra regnum ſuum occupati, vacillaret Brandenburgus ſocius, Danus ſtrenue uteretur occaſionibus ad extorquenda ea tot difficultatibus gravato, quæ ab otioſo liberoque impetrare deſperaverat, Batavus arbitratu ſuo leges ſcriberet nunquam inimico, nunquam quidquam violante, Anglus ipſe ſuam potius, quam fœderati rem videretur agere, ac compellatus tergiverſari, opportunitatesque omnes ſtudioſe prætermittere, Gallus denique, verbis potius, quam re juvare, Carolus Guſtavus Rex ad circumſtantes aliquando in arce Croneburgenſi, atque belli molem multa cum animi ſui cura memorantes, ſe jamjam cunctos dimiſſurum ſocios fœderatosque parum promtos, remque ſolum unicumque cum Divina ope adgreſſurum monſtraturumque orbi univerſo, quo plus habeat hoſtium, hoc virtuti ſuæ ampliorem paratam eſſe materiam atque gloriam.

VIII. Eſt illuſtrius adhuc fiduciæ illius exemplum ab eodem proditum ante prælium Warſavienſe, ac ad ſeram poſteritatis memoriam hic quoque proponendum. Nam cum hoſtis adventare diceretur exercitu propemodum innumerabili, neque alii modo pugnam Regi diſſvaderent, ſed & Regis Galliarum Legatus rem oſtenderet prudentiæ non ſatis, rerumque cæterarum conditioni convenientem, dare omnia in caſum, tan-

tantamque belli gloriam incertiſſimo unius, illiusque tam imparis prælii eventui committere; Rex Carolus Guſtavus invicto prorſus animo: Utinam hic, ait, omnes mei mihi offerrentur hoſtes, una eademque opera eos omnes in his ipſis campis ſuperaturum me confido, certiſſimeque polliceor.

IX. Didicerat opinor hanc fiduciam à magiſtro ſuo atque præceptore, Leonhardo Torſtenſonio. Nam & ejus ſolennia hujusmodi fuere dicta, quotiens adventantis hoſtis viros dicerentur triplo quadruplove majores, quam quantis ipſe foret inſtructus. Adeo, quod terruiſſet alium, id ipſum animabat, & ad certiorem erigebat fiduciam. Prorſus quaſi parem hoſtem vincere quivis, ſuperiorem vero viribus ac copiis poſſet nemo, præter unum Torſtenſonium. Itaque hilarior lætiorque ſemper iſtis nunciis, ac velut contigiſſet ei demum, quod pridem exoptaſſet votis, ad commemorantes iſtæc duces ſuos: ne deſpondete animum; quo plus eſt hoſtium, hoc plus eſt gloriæ.

X. Jure iſtis Jacobum de la Gardie ſociabimus. Neque enim dubitari poteſt, quin eximia fuerit ſingularisque fiducia, quod deſertus Moſchovitarum perfidia, proditione propriorum militum nudatus omnibus copiis, propriaque ſpoliatus ſupellectile, cum trecentis admodum, quos poſt ſe Suecos Finnonasque trahebat, equitibus, & pauculis peditum centuriis, quos revertenti ex Moſchovia duxerat obviam Everhardus Horn magnam Ruſſorum Novogardiam, urbem populoſiſſimam, & ſupra centies mille incolas complectentem, ac

idcirco non facilius, quam DEum ipſum, ſuperabilem à Ruſſis ſeu Moſchoviis etiam proverbio jactatam, fuerit adortus, eamque non oppugnarit modo, ſed & tempore breviſſimo expugnatam redegerit in poteſtatem ſuam, poſtremo exigua & contemptibili manu ſua innumerabilem hoſtium multitudinem pecorum ritu mactaverit. Quo in facto quidem nemo facile docuerit, quid majorem mereatur admirationem gloriamque, num quod negocium tam arduum fiducia tanta ſuſceperit, an quod ſuſceptum felicitate tam rara incredibilique expediverit?

DE PATIENTIA
CAP. XVIII.

EST affinis virtutibus ſuperioribus malorum graviorum patientia. Certe ſine ipſa non eſt fere fortitudo, maxime in bellis, ubi quid eſt non moleſtum, non innumeris difficultatibus triſte atque oneroſum? Quod proinde omne beneficio patientiæ ferendum, atque ſuperandum. Quæ generoſo ſpiritu abundans ipſa tolerantia reddit facile, quod impatientiæ inſupportabile videtur.

I. Celebris eſt patientia hujusmodi gens univerſa Dalekarlorum, procul quippe a luxuria, procul a mollitie omni. Corpora habet valida & nervoſa, & ſupra fidem contra quaſuis cœli injurias durata. Æſtum frigoraque pari fert conſtantia. Laborem quantum cunque ſubit ſuſtinetque robore invicto. Non ſiti, non fame frangitur. Panem ex farina ſola nunquam comedit,

dit, ſemper comminutos arborum admiſcet cortices. Quin imo, ſi fuerit neceſſe, etiam his ſolis veſcitur. Itaque cum adverſus eam tempore Guſtavi primi, duces Chriſtierni profecti eſſent cum ſuis, & antiſtes quidam Danicus, Bellenachus nomine percunctaretur, quales eſſent hoſtes, quo numero, quanta inſtructi annona reſponderentque periti, annonæ apud ipſos curam eſſe levem, nam vel ex arborum corticibus, ſi nil aliud ſit ad manus; vitam tolerare: Bellenachus; adverſus gentem ne humano quidam cibo utentem non homines, ſed diabolo armandos eſſe, ut victoria obtineatur. Sed de ſingulorum patientia rectius loquemur.

II. Primus eſto Starkoterus in extrema Helſingia natus. Is in conflictu cum pugilibus novem, quos ſolus proſtravit omnes, vulneribus ſeptendecim adverſo corpore ſic laceratus, ut prolapſa inteſtina undique deventre dependerent, obligari tamen ſibi vulnera nec a præcone, ignavo quæſtu vivere ſolito, nec ab ancilla ſervituti & verſandis molis addicta voluit, tanquam eſſet gravius, ſuam his debere Starkoterum valetudinem, quam in acerbiſſimis doloribus ſpiritum trahere: ſed agricolæ curandum ſeſe dedit. Qui non fomentis delicatulis, nec pendente manu, verum fortiter, ut volebat Starkotterus ipſe fortis, neque ut mulieri, ſed ut viro bellicoſo militique prolapſas inteſtinorum partes priſtinis locis repoſuit, vulneraque nexili viminum ligamine occluſit, atque ita Starkotterum priori valetudini reſtituit. Nemo hodie ſic equum ſuum, ſicut Starkoterus ſeſe ipſum, fineret curari. Sed fides ſit penes Saxonem! Nam & in fabulis mirabilia quædam & memorabilia.

III. Starkottero fuit haud abſimilis magnopere Toro Jernskiold quidam, ſi modo fuit gentis Sueticæ, quod ex nomine ipſius colligi videtur. Nam & ipſe in prælio inter Rolſonem Weſtrogothorum, & Haldanum Ruſſorum regem, vulneratus graviter, ſic ut ſciſſo ventre inteſtina plurimum eſſent evoluta, Rolſoni tamen ex jacente ſub quercu in ſylva proxima quærenti, quomodo haberet ſeſe, num graviter vulneratus eſſet? voce alacri reſpondit, vulnus videri non magnopere curandum. Ab Rolſonis enſe cutem leviter habere perſtrictam, ejusque rei exiguam apparere notam.

IV. At Hartbenus celebris Helſingorum pugil, quotiens per iram indignationemve ac cenſus fervebat ſtudio præliandi, non modo quævis obvia feræ inſtar indomitæ proſternebat, ſed & prunas ardentes e proximo arreptas foco deglutiebat, ignemque ipſum per anguſtias gulas in ima viſcerum transfundebat. Adeo fuit periculi doloriſve genus ullum, quod non patientiſſimo longe conſtantiſſimoq; animo ſuperaret.

V. Non prætereunda hic eſt patientia Olai regis, quem nonnulli Skautakonung vocitant. Nam um inter primos nomen dediſſet religioni Chriſtianæ, ac ex ipſa didiciſſet, ſancte obſervandam celebrandamque diem Dominicam, & in ea ab omni non neceſſario abſtinendum eſſe labore, per incogitantiam tamen, quod facilimũ fuit nondum ſatis paganicarum conſuetudinum oblito, baculum, quem tenebat forte manu, in minutas ocii fallendi cauſſa conſcindit aſſulas. Igitur admonitus ab adſtantibus præcepti Chriſtiani, & quam

quam decenter parum illud neglexerit, ſucciſas a ſe colligi ſtudioſe juſſit aſſulas, omnesque ſuæ manui impoſitas accendit igne, nec ſubduxit eam graſſantibus large flammis, priusquam cunctæ in favillas cineresque eſſent redactæ. Ita ratus expiandum delictum, & impietatem temerariam haud levi flammarum patientia multandam eſſe. Sed illa hactenus fabuloſa videri poſſint.

VI Addam igitur aliud exemplum. Sub Chriſtierno tyranno inter cæteros, quos immani ſævitia Holmiæ ſuſtulit e medio, fuit quidam Magnus Joannis nomine, quem non ex cauſſa, ſed ſuſpicione incertiſſima, quoniam favere patriæ ardentius, quam Chriſtierno conducebat, videretur: primum manibus pedibusque cruci præcepit ſuffigi, veſtimentis cunctis ſpoliatum. Tulit graviſſimos cruciatus iſtos obfirmato patientique animo Magnus ille, ſublataque voce cum ſuam innocentiam, tum diriſſimam Chriſtierni ſævitiam apud circumſtantes ubertim teſtatus eſt. Qua re cognita Chriſtiernus magis excandeſcens factus virilia exſecari ei juſſit, ac in faciem conjici. Neque is minori patientia hos quoque ſuperavit dolores, ac in profeſſione ſuæ innocentiæ conſtantiſſimus perſeveravit. Donec ad ultimum immaniſſimi ſanguinarii mandato cor ipſum e pectoris cultro diviſi penetralibus erutum, & in moribundi os infarctum, victoriam pulcerrimam de crudelitate Chriſtierni ſumma cum patientiæ inuſitatæ gloria ipſi peperit apud memorem gratamque poſteritatem.

DE ANIMI MODERATIONE CAP. XIX.

PRoxima ſuperioribus virtutibus eſt animi moderatio, cujus velut freno impetus animorum a fortuna ſtimulatorum coercentur, ne exerrent, atque hominem ab hominem ab honeſtatis tramite ad præcipitia ſuperbiæ ſævitiæque deferant, unde niſi triſti miſerab iliq; caſu reditus deinde non conceditur. Neque alia m agnis viris propius eſt cognata, magisque recepta uſu, ut non male indicem erectæ indolis, ſuperque omnem poſitæ injuriam vocare poſſis. Scilicet quanto quisq; animo rationeq; præſtantior, tanto eſt ab impotentia temeritateq; remotior, cum hæc vitia ſint perturbationum, quas qui ſubegit, ipſa etiam viciſſe ac evaſisſe neceſſe fuerit. Sed exempla videamus.

I. Prælio ingenti, quod in campis Bravellinis commiſſum fuit, Haquinus Ring Haraldum Daniæ Regem ſuperaverat, in quo Haraldus ipſe, perfidia aurigæ ſui cæſus, occubuit. Poſt prælium mittuntur ab Haquino, qui cæſis in acie juſta facerent. Inter ſtrata pasſim hoſtium amicorumque cadavera reperiunt & Haraldi Regis, quod idcirco ſublatum perferunt ad Haquinum. Erant plerique in expectatione ludibrii alicujus vel inſolentiæ in funere Haraldi, cum præſertim patris Haquini mortem Rex Haraldus non eo tuliſſe videretur animo, quo ſocerum, & potentem armis decebat. Verum cum ferro Haquinus ſimul odiaq; inimicitiasque recondiderat, neque poſt victoriam victis noverat inſultare.

re. Igitur Haraldum non ut hoſtem, ſed ut Regem jubet ſepeliri, & quicquid ad pompam funeris etiam in amici obitu adhiberi ſolet, copioſiſſime contribuit. Ipſum equum ſuum Haquinus, quo uſus fuerat in prælio, auro multo ſtratum cultumque Haraldo conſecraſſe, flammisque rogi immiſiſſe dicitur, ne inermis indecorusque ad inferos deſcendere cogeretur. Poſtremo cineres illius collectos incluſiſſe urnæ, illamque regiis inferendam monumentis Lethram in Daniam perferri curaſſe.

II. Hac moderatione de victoriæ ſuperbia iraque triumphavit paganus. Quid à Chriſtiano expectandum? Ecce tibi exemplum in Erico Sancto, Proſtraverat is una pugna incredibilem Finnorum multitudinem, qua deinde ipſum Finnoniæ regnum poteſtatis ſuæ fecerat. Poſt prælium cum jacerent campi tecti cæſorum cadaveribus, plerique hoc ut jucundiſſimo ſpectaculo lætabantur, victoriamque ſuam voluptate magna celebrabant. At Ericus contra expectationem omnium in lacrymas effuſus commiſeratione ſortis iniquiſſimæ, quam ſubire hoſtes pertinacia ſua coacti fuiſſent: Quid? inquit, num putatis me lætari victoria, qua tot millium animas ſcio miſſas ad ſupplicia æterna, qui ſi Chriſto dare ſacramentum voluiſſent, non ſervari modo potuiſſent in vita, ſed cæleſtibus gaudiis transſcribi? Nunc hoc unum ſupereſt, ut æternum illud ipſum exitium lugeam, atque me conſoler eventu, non per mea vota, ſed conſilio Divino procurato. Eat nunc, & Marcellos ſuos Roma jactitet. Habet Suecia, quos non opponat tantum ipſis, ſed & anteponat.

III. Non

III. Non alienum eſt à propoſito noſtro exemplum Birgeri Ducis, quam vocare Jærl conſueverunt. Erat inter ipſum & non paucos ſummæ tum auctoritatis ac potentiæ in Suecia viros, Folcungos nomine, odium longinquum indelebileque, ex metu ac æmulatione natum, quo deinde factum, ut Birgerus partem maximam eorum circumventam neci daret. Reliquus forte manſerat unus, Carolus nomine, quem tametſi Birgerus in fidem amicitiamque recepiſſet, tamen ipſe nunquam ſeſe illi tuto auſus eſt committere; patriam itaque ſpontaneo exilio permutans, in Livoniam conceſſit, ubi non multo poſt in prælio pugnans fortiſſime adverſus paganos occubuit. Quod cum ad Birgerum eſſet perlatum, non ille exultavit gaudio, nullas hilares emiſit voces, ac ne ſignum quidem ullum animi lætioris, atque ob ſubmotum æmulum inimicumque fidentioris dedit, verum vultu mœſto, humentibusque oculis triſtem miſerabilemque viri fortiſſimi, & ſi neceſſitas requireret, civis patriæ utiliſſimi exitum proſecutus eſt. Poſtremo miſit extemplo, qui cum cura requiſitum funus referrent domum, cui allato ipſe deinde juſta fecit funebria, depoſitoque omni veteri odio magnificentiſſimi apparatꝰ exequiis, quantaque licuit pompa ornavit.

IV. Regum iſta fuit moderatio ſecundis rebus; dabo nunc & aliorum. Ericus, quem deinde propter ſummam ingenio præſtantiam, & orationis facultatem Diſertum Sapientemve nominarunt, cum adhuc privatus eſſet, inque aula Frothonis Daniæ Regis verſaretur, multos ibi habuit invidos adverſarioſque. Ipſe Frotho aliis

aliis aliisque machinationibus circumvenire nihil tale meritum conabatur. Ergo nihil uſquam tutum ſibi cernens, Dania poſtremo egreditur cum navigio. Qua re comperta, Frotho eum proditionis inſimulat, & velut transfugam defectoremque cum nonnullis navibus perſequitur. Sed quid accidit? caſu quodam mergitur navigium, quo Frotho navigabat, in ipſis Erici oculis. Hic Ericus immemor injuriæ omnis, ſaltu ipſum ſe immittit mari, extractumque capillis ſervat, nandoque adducit ad littus, poſtremo contra ipſas preces votaque ſua ipſum vivere compellit. Quid hac moderatione rarius? Nemo ſic amicum temere ſervaret.

V. Eſt & hoc inſignis moderationis ejus documentum. Cum iratus illi quodam tempore Frotho Rex immittere jactu cultrum, quem tenebat manu, adſtantemque læthali vulnere ad terram dare deſtinaſſet, ipſeque levi declinatione corporis evitaſſet ictum, culterque proximo infixus parieti adhæſiſſet: tum Ericus nihil plane hac injuria permotus, ſalſe faceteque inſuper ad Regem, non hoc modo munera porrigi amicis ſolent: debuiſſes ſaltem cultro vaginam addidiſſe. Qua ſermonis moderatione non Frothonem in ruborem modo dedit, ſed præterea vaginam, quam ex auro pretioſam habebat pendentem de cingulo, tradere compulit.

VI. Severius aliquanto factam ſibi ultus eſt injurium Ericus Balbus, ſed quietis publicæ amore magis, quam vindictæ ſtudio, atque ita, ut ne ſic quidem non illuſtre moderationis daret exemplum. Nam cum à potenti

potenti florenteque tum per Sueciam Folchungorum gente bello petitus civili, non quod commiſiſſet quidquam, aut injurius in ipſos fuiſſet, ſed contemtu ſuperbiſſimo, quod ſermone uteretur minus promto facilique, ac poſt atrocem ad Alaſtrem pugnam ſuperatus, in exilium abire cogeretur: tamen novis poſtea firmatus viribus, juſtoque cum exercitu reverſus, & ad Sparſethrem prælio ingenti victor, unum Holingerum, adverſarum partium ſocium, ac ob generis dignationem, vitæque claritatem cæteram nunquam quieturum, ſi manſiſſet incolumis, capite puniri juſſit. Cæteris omnibus, quotquot non in acie ceciderant, animo humaniſſimo benigniſſimoque ignovit, neque civis cujusquam ſanguine extra prælium manus ferrumve imbuit. Ac ne in Holgero quidem poſt obitum ulla læſi animi indicia prodidit, quin potius cum is ſepulturam petiiſſet in monaſterio, quod à vulgo Skogh vocatur, non clementer modo eam ei indulſit, ſed & ſplendidiſſimo efferri funere, ac pro reliqua dignatione terræ mandari ſummo ſtudio annixus eſt.

VII. Dabimus & ex hiſtoria recentiori quidpiam. Cum Johannes tertius ab Erico fratre teneretur in cuſtodia, factum eſt, ut Ericus, ſummo fratris odio exſtimulatus, ultro conveniret cum Moſchovitarum Magno Duce, de Catharina conjuge Johannis in matrimonium ipſi tribuenda. Mittit ergo Magnus Dux, qui ex pacto deſponſatam ſibi ab Erico peterent, & ad ſeſe domum ducerent. Hic Ericus diſcrimine ambiguo circumventus, quia præſtare ſtolide promiſſum nequiverat,

verat, legatos Ducis de die in diem jubet expectare, variisque pollicitationibus differt. Interim adverſus ipſum, tanquam parum ſanæ mentis principem, ac ob id inutilem imperio, conſurgunt cives, regnumque fratri ejus Johanni deferunt. Venit Johannes cum copiis militaribus, Holmiam in poteſtatem ſuam redigit. Milites cum cognoviſſent latitare alicubi legatos Moſchoviticos, qui Johannis conjugem petitum ad Ericum venerant, ulturi ſcilicet injuriam regi ſuo factam, impetum in ipſos faciunt, omnemque ipſorum diripiunt ſupellectilem. Quæ res ut primum allata eſt ad ducem Carolum, Johannis fratrem, ipſe bipenni armatus ad Moſcovitarum feſtinat diverſoria, vim ab ipſis omnem ſubmovet, ablataque omnia facit cura maxima reſtituit. Mox Johannes ipſe cognito negotio, licet nihil ad ſe pertinentes, & quod caput eſt, conjugem tam ſibi caram opera fratris paulo ante conantes per iniquitatem maximam abſtrahere, nulla facti ullius, ac ne verborum quidem injuria vel minimam ſalvos & incolumes ad ſuos abire permiſit.

VIII. Non ſinit nos tacere Caroli Guſtavi moderatio benignitasque. Cum adhuc privatus verſaretur peregre, venit forte ad non-neminem dignationis magnæ virum, & tum in Chriſtinæ miniſterio conſtitutum. Hic vir ille, ſive occulta æmulatione, ſive privata quadam ſiniſteritate animi (ut ſolebat eſſe durior) non pauca jactare in Carolum Guſtavum immitiora, de loco etiam, privatim licet, ac domi ſuæ, extraque commiſſum ſibi munus, cum ipſo certare, multaq; alia ſum-

mæ

mæ alienationis, nec occulte prodere indicia. Quæ res tum quidem Carolum juvenem adhuc & ætate fervidiorem, habuit tam male, ut extemplo indignationem ſummam animi præ ſe ferens, diſcederet ab eo; canem, quem miniſter ille habebat carum forte occurrentem plumbea trajiceret glande, domique ac inter ſuos ſummo cum mœrore de factis ſibi quereretur injuriis, poſtremo memorem ſe horum omnium ſuo tempore futurum ſancte affirmaret. Inter hæc aliquot præterlabuntur anni, poſtremo Carolus Guſtavus ad faſtigium majeſtatis ac potentiæ regalis evehitur. Cum nonnemo amicorum, cui res memorata per Carolum Guſtavum ipſum pridem innotuerat, revocare illam ipſi in memoriam, Regisque præſentem explorare animum. At Carolus Guſtavus generoſe, accidiſſe forſan iſthæc Carolo Guſtavo Principi Palatino, illumque non ſine cauſſa graviter tuliſſe iſtiusmodi injuriam; at Carolum Guſtavum Regem Sueciæ eam plane ſcire nullam, neque alio ſe loco habere miniſtrum illum, quam quo virum de republica bene meritum, civemq; patriæ amantem oporteat.

DE CONTEMTU HONORUM
CAP. XX.

MOderationi animi non ſine cauſſa gloriæ contemtum ac potentiæ adſociamus. Nam ut illa vincit iram atque ſtudium vindictæ, ita hæc elationem animi; honoresque, cum potentia, vel repudiat, ſi habet, vel ſi non habet, magnopere nec deſiderat, animumque ſuper iſta omnia, de quibus inter ſe

ſe certare ferro igneque alias mortales conſueverunt, longiſſime attollit, quo ſervare decus honeſtatis veræ atque rationis valeat.

I. Gœthricus Weſtrogothorum Rex decrepitus, ex difficili laborabat morbo, unde nullam ſpem recipiendæ valetudinis habere poterat. Quamobrem regni ſui convocatis primoribus, cum cæteram rerum ſuarum expoſuit conditionem, tum ſententiam de ſucceſſore ſuo aperuit. Habebat filios duos, majorem natu Ketillum nomine, minorem vero Rolfonem. Minor abſens tum in aula Rhingonis Daniæ Regis verſabatur. Eum pater, ut imperio idoneum magis, anteferebat præſenti majorique natu fratri, civibusque ſuis commendabat omni ſtudio, ipſum denique Ketillum orat, ut hoc patris, regno etiam poſt mortem bene cupientis, de ſe judicium ne ferat ægre, verum eo, ut ex nulla profecto invidia, ſed amore cum ipſius, tum publici prolato pie acquieſcat. Habebat Ketillus & ætatis prærogativam, & communem gentium conſuetudinem, & quod erat maximum, ipſas regni leges, publicasque conſtitutiones ſibi faventiſſimas. Sed hæc nihil movent animi ipſius generoſi rectitudinem. Quapropter ſic ad patrem. quoniam ita videatur ipſi, publicamque poſtulare cenſeat utilitatem, ſe promtiſſimo animo fratri jura ſua cedere: neque adeo potentiæ regalis eſſe cupidum, quam jam ante ſciat ſatis eſſe multis cum moleſtiis conjunctam, nec tam ſplendidam ullatenus, ut non longe ſit laborioſior & gravior. Nemo hodie ſic agellum ex hæreditate paterna ſibi debitum omitteret fratri, ut Katillus regnum.

II. Convenit huic moderationi illa Stenchilli Regis. Poſt Emundi quippe obitum neſcio quo caſu itum eſt in partes à civibus regni, Gothis Haquinum Rufum, Suecis Stenchillum eligentibus. Utraque pars pro ſuo nitebatur Rege, ſuum eſſe ratum volebat ſuffragium; videbatur res ſpectare certamen inter eos ac civile bellum. Hic Reges ipſi coeunt, & num aliquam invenire queant viam conſervandæ publicæ quietis, omni ſtudio diſpiciunt. Nihil erat reliquum, quam ut unus alteri regnum cederet. Erat Haquinus jam provectus ætate, neque regnaturus diu videbatur. Quare in hoc denique conveniunt, ut dum viveret Haquinus, ſolus utrique præeſſet regno, Stenchillus privatus exſpectaret vacuum deceſſu ejus regnum. Atque ita factum eſt. Stenchillus civium ſuorum voto Rex creatus & in ſolio jam conſtitutus; diadema ſceptrumque deponit, Haquini ſe imperio ſubmittit, ac ex Rege fit ſubditus, ut quietem patriæ conſervet. Quid hic dicent, qui ut haberent regnum potius, quam exſpectarent, ne parentum quidem ferre diuturniora potuerunt imperia, ſed per ipſas eorum cædes ad faſtigium principale grasſati ſunt, libidinique ſuæ cruore paterno litarunt.

III. Ac hi quidem neglexerunt dignitatem regiam, quam non niſi cum moleſtia potuerunt vel accipere, vel habere. At tu Iſrael Birgeri quo mihi commendandus es elogio, qui oblatam ſponte recuſaſti? Fugerat Rex Magnus cognomento Smeck è carcere Calmarienſi liberatus in Norvagiam, cum regni per bella multiplicia calamitatesque varias tantum non collapſi re-

reſtaurator quæreretur idoneus, dictus Iſrael, vir non genere magis ac natalium ſplendore quam animi virtutibus ante cunctos illuſtriſſimus. Veniunt regni Ordines, ſceptra illi offerunt ultro, Regem ſuum vocant. At ipſe adeo non captus eſt honore iſto, ut declinandi ejus cauſſa ipſam quoque patriam reliquerit, Rigamque ſe ſubduxerit, malueritque exul eſſe Livoniæ, quam Rex Sueciæ. Qua excipiemus formula virum cordatiſſimum? ea credo, qua Hephæſtion ſuum hoſpitem: Macte hac virtute, qui primus intellexiſti, quanto majus ſit faſtidire regnum, quam accipere.

IV. Poſſis eadem & de Suantone Sturio efferre. Nam & ipſum Nicolaus Dake, Smolandorum adverſus Guſtavum primum ſive odio religionis, ſive cauſis aliis tumultuantium anteſignanus atque caput ad paternum evocabat regnum, ſeque cum omni Smolandorum multitudine in recuperando eo adjutorem pollicebatur fidiſſimum, ſi præeſſe ipſis, exque præſcripto legum antiquarum, & majorum exemplo gubernare regnum ſeſe velle promitteret. Datæ iſto propoſito ad Suantonem litteræ, concordi omnium ſuffragio firmatæ. Verum ipſe fidus Regi, & dignationis, non niſi per ſcelus parandæ facillimus contemtor Guſtavo ſemel partum ſervare maluit imperium, quam oblatum ſibi, licet à manu non contemnenda, impie vindicare. Nam paterni quidem nominis gloriam abunde ſe putabat tueri, ſi ſeita gereret, uti dignus regno haberetúr, licet non regnaret.

V. Quia mentionem fecimus Guſtavi primi, præ-

terire ipſius quoque animum modeſtum non debemus. Etſi enim rebus deſperatis, cæterisque Chriſtierni jugum humili cervice ſubeuntibus, quippe cujus excutiendi nulla comparebat ratio. ſolus ipſe ſuccurreret, libertatisque publicæ ſe offerret vindicem, tamen regnum ſemel, iterum, tertium, nec id tentandi cauſſa, verum ſerio, & cum precibus lacrymisque oblatum ſibi ab Ordinibus cunctis, pene pertinaciter repudiavit. Teſtatus, ſe paratum obſequi, ut primum alius labores iſtos in ſe recipere, porroque patriam ab exitio in dignitatem priſtinam aſſerere non gravaretur. Neque dimoveri potuiſſet à propoſita ſententia, niſi hujuſcemodi mutationem intellexiſſet ipſe cum exitio regni tunc primum è diuturnæ ſervitutis cœno emergentis, nullaque adhuc parte confirmati ſatis eſſe conjunctam. Ut hæc fuerit Guſtavi potius commiſeratio in patriam, quam ambitio, vel imperii cupido.

VI. Debet iſto loco non omitti nepos ejus, Guſtavus Adolphus: cujus res geſtæ licet poſt ſe traherent ingentem gloriam, haud ſecus ac expoſita ſoli corpora magnam umbram, tamen ipſe à cupiditate ejus abfuit longiſſime. Atque dedit ejus ſuæ moderationis plurima ſubinde, eaque apertiſſima documenta. E quibus neſcio an ſit illuſtrius, quam quod eveniſſe Auguſtæ Vindelicorum memoratur. Cum enim urbem illam intrantem multitudo innumera exciperet non humanis regiisque, ſed divinis plane honoribus, multi procumberent in genua, nonnulli voce altiſſima prætervectum equo, velut Salvatorem Soſpitatoremque è cælis formula

ex-

exquiſitiſſima, & ex ipſo Dei verbo transſumta exciperent, Guſtavus ea indigniſſimo tulit animo, vultuque averſationem ſuam declaravit, neque multo poſt mœrore ſummo converſus ad Jacobum Fabricium Sacerdotem atque concionatorem aulicum: Non hæc mihi, verum Deo tribuenda laus erat, qui ad iſtas res conficiendas meo qualicunque uti dignatus fuit miniſterio. Nunc cum præpoſteræ pietatis vulgus me velut Numen aliquod adorat, quid facit aliud, quam ut Deum ipſum mihi reddat inimicum, atque ita hos ſucceſſus ſuo quoque cum incommodo interrumpat?

DE ABSTINENTIA ET CONTINENTIA

CAP. XXI.

ABſtinentiam deinceps proponemus, virtutem magnis ſemper obſervatam pectoribus, commendatamque. Voluptates quippe, libidines, pecuniarum copiam, & id genus illi demum vere negligunt, qui ſuper hæc minuta, ventrique tantum ſervientia evecti, nihil ſeſe cenſent eſſe dignum, niſi quod conveniens ſit rationi, nobiliſſimæque parti hominis, hoc eſt menti conſentaneum. A qua longiſſime recedit fœda corporis voluptas, ſterilisque metalli inſaniſſimum deſiderium. Quæ ſi ſemel invaſere hominem, facile dejicitur à gradu, in quo conſtitutus eſt à natura, & in cœnum fœditatis omnis turpitudinisque miſere proſternitur. Quod vitandum eſſe generoſis animis ſequentia exempla copioſe demonſtrabunt.

I. Ericum nonum, cognomento Sanctum, præter cæteram vitæ honeſtatem, caſtitatis quoque amantiſſimum ſtudioſiſſimumque memorant fuiſſe. Nunquam tamen ita potuit ex animo ejicere ac extinguere motus omnes impetusque ſtimulantis naturæ, ut non renaſcerentur ſubinde, ac invito etiam, & alia optanti transverſos ſe ingererent. Quapropter ut quocunque tandem modo caſtigaret rationi parum bona fide obſequentes iſtos motus, hoc excogitaſſe ferunt. Ciliciis, & è ſetis pilisve craſſioribus contextis veſtibus amiciebat ſeſe ſub regali habitu, quo attritu eorum corpus afflictum diſceret oblivioni tradere fœdarum voluptatum deſideria. Quod ſi ne ſic quidem obſequens haberet, gelidiſſimis ſe reſpergebat aquis extincturus eo frigore calores improbos, quos libido pertinacior in ipſo accenderat. Diverſiſſimo ab illis inſtituto, qui ut libidinibus frequentiſſimis exhauſta ſemimortuaque membra excitent, quicquid medicaminis ferventiſſimi gignunt terræ omnes, omnia maria, vel ab Indis ultimis accerſere non erubeſcunt.

II. Non minor abſtinentia illius fuit aliis in rebus. Sueverant priores reges à colonis civibusque colligere tributa varios in regni reipublicæque uſus. Ea pro recepta pridem conſuetudine oblatum Ericum etiam magno numero conveniunt. Contra Rex nulla ſcire ſe tributa ipſis ſua voluntate vel auctoritate imperata. Ad quæ cives ſerio, precibus etiam contendentes, accipere ne gravaretur cenſum Regi debitum, quem eo promtiori animo offerrent, quo ſcirent certius, non

niſi

niſi publica in commoda impenſurum. At vero Rex Ericus, ſibi nullis civium pecuniis eſſe opus; habere propriis ex prædiis,regnique patrimonio,quantum ſuis poſſit ſufficere neceſſitatibus. Quare ſua retineant, & in uſus futurorum temporum recondant. Fore namque, ut poſteritas his gravius indigeat. Quid hoc certamine præclarius, publicisque uſibus accommodatius? Nec enim uſquam fidelius cuſtodiuntur opes civitatis, quam in civium ſingulorum arcis privatis, reſerandis boni publici amore caritateque erga principem humanum atque abſtinentem, quotiens neceſſitas ſalusque vel illius vel communis omnium requirit.

III. Sed hæc factitabat Ericus pietate Chriſtiana imbutus ſubactusque. At vero Starkotterus ſolo rectæ rationls imperio, paganus quippe diuque ante florens, quam in Sueciam perlata eſſent aliqua deChriſtianorum doctrinis. Sunt egregia illius ad Ingellum Daniæ Regem verba, quibus ſeſe in exemplum veluti proponit continentioris ac frugalioris vitæ, luxuria & libidinibus ineſcato. Nam Hakonis Regis ſe militiam ſecutum, imberbem adhuc licet juvenemque, dictitabat ſummopere peroſum ingenia laſciva luxumque. Veſte uſum aſpera incultaque, cibo carne cruda plerumque, vel durata fumo. Neque ipſa re ſe præſtitit diverſum, ſenex etiam & gravis annis. Nam cum velut alumnumIngelli veterem ac magiſtrum conjux regia honoraret oblata mirifici operis vitta, quam proprio detractam capiti, cænantis gremio impoſuerat, Starkotterus deſpiciens munus viro indignum, à ſe rejecit. Invitatus quoque ad

capiendum ex regali menſa cibum, qui luxuriæ diverſo ngenio delicatiſſime paratus erat, ipſe dari ſibi carnis fumidæ rancidulæque fruſtum petivit. Poſtremo ne tibicinis quidem modos molliores ferre potuit. Nam cum exhilarandi ejus gratia doctum artificem regina canere juſſiſſet, ille nihilo modulatione iſta commotior rigente ſtatua, oſſe ad poſtremum, quod veſcendo carne ſpoliaverat, in canentis faciem projecto, tali dignum præmio mollitia tam ingenioſum magiſtrum dictitabat.

IV. Continentiam hanc ac ſobrietatem laudant in pleriſque veterum Juvenes non niſi ſero cogitabant nuptias, dediti non ignaviæ, non laſciviæ, ſed occupati bellis fere ac periculis. Puellæ procedentes in publicum ſubmittebant oculos, virum obviam ſibi factum ne intueri quidem ſuſtinebant. At vero colloqui cum ignoto, niſi parentum in conſpectu ac præſentia, parum aberat ab infamia meretricia. Itaque libido fœda tum rariſſima, adulteria vero vix nota. Nam quod apud gentes alias ut argumentum ſingulare continentiæ prædicari ſolet, uſum Veneris intra conjugis unius caritatem tenuiſſe clauſum, id apud Suecos quidem, etiam paganos, adeo in gloria non fuit, ut illum extra lecti conjugalis extuliſſe parietes, in ſumma haberetur turpitudine, deprehenſusque globos ſaxeos loro alligatos virilitati: per plateas urbis maxima ſua cum infamia trahere cogeretur.

V. Poteſt iſta ſuo docere Gutha, Suenonis Daniæ Regis conjux, exemplo. Hæc enim Olao Sueciæ Rege genita, cum Suenoni dicto ſolenni fœdere matrimonii

monii eſſet juncta, & ab eo vagis dedito libidinibus decenter minus haberetur, ſive ſacerdotum auctoritate, qui, quod eſſet inter ipſam & Suenonem ſanguinis propinquitas nonnulla, id matrimonium illicitum dictitabant, ſive tædio mariti parum pudici compulſa, paternos lares repetiit, formaque ac ætate florentiſſima in viduali habitu conſenuit, caſtitatem ad poſtremum votis etiam profeſſa, omni deinceps virorum conſuetudine religioſiſſimè abſtinuit, ingenti apud cunctos pudicitiæ continentiæque gloria. Et ne per deſidiam illecebris voluptatum fieret obnoxia, quotidiano labore veſtes ſacras in templorum uſum adornabat, arte ſpectabili ac induſtria ſingulari pingens eas acu, ſigilliſque diverſimodis diſtinguens. Quæ poſt ipſam paſſim longo tempore cum in Suecia, tum in Dania duravere.

VI. Antequam digrediamur ex hoc loco, addamus exemplum adhuc unum ejus cujus nunquam animus in pecuniis conquirendis potuit vacare. Fuit is Guſtavus Adolphus, ex tot victoriis, tot gentibus civitatibusque ſubactis nihil ſervans ſibi, præter unicam ſolamque gloriam. Non auri, non argenti quidquam facti ſignative in privatam ejus domum, quod peperiſſet peregre, illatum eſt, Duces militesque ſuos præda opulentos, ſe geſtarum rerum gloria Magnum eſſe malebat. Cujus rei eſt exemplum illuſtre in expugnatione arcis Herbipolenſis. Habebatur ea inexpugnabilis propemodum. Itaq; quicquid longe lateque ſuppellectilis prætioſæ regionis ejus incolæ poſſidebant, hic ut in tutiſſimo repoſuerant loco. Quare tandem vi a Gu-

ſtavo in poteſtatem redacta, ingens auri argentiq; vis reperta ibi dicitur, cum rerum aliarum precioſiſſimarum incredibili copia. Ex qua Rex Guſtavus nihil ſuum eſſe voluit, præter librorum bonorum mediocrem numerum, nec ut ſervaret ſibi, ſed Upſalienſi Academiæ donaret, ubi hodieque illæ unicæ victoriarum Guſtavianarum manubiæ cernuntur.

VII. At qua fronte te omitterem Stenone Sturi, qui continentiæ ſimilis & ipſe ſpecimen edidiſti pulcermum. Pugnabat quondam cum Johanne Daniæ rege, prope arcem Erby Weſtrogothiæ ingenti prælio. Quo ad ultimum ſuperior factus magnum numerum ex præcipuæ dignationis viris inter Danos, optimisque militibus habebat captivum. Poterat proinde Steno agere cum ipſis more hoſtili, ac in vincula conjicere. At is contra benigne liberaliterq; ipſos habuit, omniq; honore ornatos remiſit domum, ac ne quidem precinm redemtionis aliquod ab ipſis exegit. Sic non fortiorem ſe in bello] adverſus armatos, quam in pace adverſus improbas cupiditates declaravit.

VIII. Nondum nos dimittit Steno, verum aliud inſigne factum, ſi non majus, ſaltem minus nihilo ſuperiori poſtulat hic memorari. Venerat Johannes Daniæ rex Holmiam quorundam Stenoni male cupientium opera cum conjuge Chriſtina, occupaturus Sueciæ regnum. Cum Steno collecto exercitu adproperat, & excedere ipſum compellit. Nequibat eadem feſtinatione ſubſequi maritum Chriſtina. Quare Holmiæ captiva in arce manere tenetur. Hanc porro Chriſtinam

Steno

Steno illo ſolum tempore, quo in arce fuit, ab injuria omni liberam ſervavit, ſed & maximis honoribus eſt proſecutus, ut deeſſe ipſi nihil ex fortuna priſtina, præter maritum videretur. poſtremo ipſe ſuis impenſis cum nobiliſſimorum Sueciæ totius manu ſplendidiſſima uſque in Hallandiam eſt proſecutus, gratis atque abſque ullo precio reſtituens marito. Mirantibus plerisque, quod tam ſumtuoſe coleret captivam, dimitteretque liberam, cujus ſervatæ aliquantiſper deſiderium ad conditiones æquiores potuiſſet hoſtes compellere. Verum erat is Stenonis animus, qui mallet beneficiis, quam armis ſuperare hoſtes, continentiæque, quam divitiarum qualibet occaſione corraſarum gloria poſteritati commendari.

DE LIBERALITATE
CAP. XXII.

GRatiſſimam humano generi virtutem explicare nunc adgredior. Quem enim non delectet neceſſitatibus aliorum opportune atque cum judicio ſuccurrens liberalitas? Nimirum pauci ſunt, quos fortunæ indulgentia fecit omni rerum affluentes copia. & hi ipſi caſibus quandoque feſtinis ad difficultates magnas compelluntur. Ut pauciſſimos reperias, qui aliorum beneficia ſubinde non requirant. Quare liberalitatem exercere nihil aliud, quam communis indigentiæ præbere ſe auxiliare velut Numen, & calamitatis obviæ benigniſſimum ſoſpitatorem.

I. Celebratur hodieque, quamvis longiſſimis ſupra

ſupra noſtra temporibus exercita regis Atisli munificentia. Nam cum inter eum & Rolfonem Danum in convivio colloquium fuiſſet ortum non de potu jucundiſſimo, aut belliſſimis epulis, ſed præſtantiſſima virtute; Rolfoque patientiam præferret cæteris, Atislus, quippe Rex, neque ſibi, verum aliis uſui eſſe cupiens, ante cunctas eſſe liberlitatem ac munificentiam asſerebat. Et ne videretur ore magis, quam animo de hac virtute ſic cenſere, ſtatim plurima ex auro gemmisque affabre confecta, fibulas, armillas, annulos, & id genus juſſit expromi, omniaque inter hoſpites largiſſime diviſit. Præ cæteris vero Rolfoni privigno ponderis eximii aureum dedit torquem, atque ita omnium confeſſione liberaliſſimum benigniſſimumque principem ipſo opere ſe exhibuit.

II. At vero Gæthricus Rex Weſtrogothorum liberalitate ſua congnomentum quoque peperit, nam hic Milda, ſeu Beneficus in monumentis priſcis dicitur. Nempe fuit ejus ſumma erga omnes bonitas liberalitasque, ſic ut neminem absque munere a ſe dimitteret. Ferunt Hroskell quendam, celebrem piratam, aliquando comitantem ipſum habuiſſe domi ſuæ hoſpitem, quem omni genere pretioſiſſimorum munerum ſic ornaverit, ut digrediens iſta ſola Gœthrici liberalitate opulentus factus videretur. Inter dona cætera fuerunt equæ quatuor coloris pallidiſſime flavi, qualis ſerici eſſe ſolet, atque ob hanc cauſſam quoq; rariſſimæ pretioſiſſimæque. Addidit & equum generoſum coloris ex candido nigroque mixti. Quæ omnia in unum

uno

uno tempore collata ſatis animum munificentiſſimum Gœthrici teſtantur.

III. Dudum queri mecum totus Suecorum populus videtur, quod celebratam longe lateque, peregrinis etiam, ipſius liberalitatem erga hoſpites præcipue, ac procul ad ſe adventantes prædicare differam, cum ſint teſtes locupletiſſimi, non alium per Septentrionem univerſum huic virtuti quondam magis operam dediſſe. Nihil certe apud nos habitum & turpius, quam iter facienti, atque indigo hoſpiti negare tectum, & ſi quis feciſſe deprehenſus fuerat, pro infami ac probroſo apud omnes habebatur, Quin imo certabant inter ſe, quis jure potiori hoſpitis excipiendi uteretur. Neque fuit iſta ſimplex ædium communicatio; quicquid ad victum cæterasque neceſſitates opus erat, humaniſſime liberaliſſimeque depromebant, erga ſe, ipſos potius, quam peregrinos parci ac tenaces. Durabatque hæc humanitas, per quot dies alter commorari vellet, imo abeuntem etiam proſequebatur, quando certatim amicis in via commendarent, & ab uno ad alterum per regionem univerſam deducerent, multa cum ambitione ſtudioque gloriæ ex bene habito peregrino.

IV. Eſt ejusdem populi & hoc liberalitatis ſingularis argumentum, quod cum primum, ejecta ſuperſtitione paganica, particeps fuiſſet facta pietatis Chriſtianæ, veniſſent que Sigtonam urbem Adelvardus Stephanusque verbi Divini præcones, Miſſamque ibi primam celebraſſent, tam pronum erga ipſos pie credentium fuerit ſtudium, tam amica omnium voluntas, ut in

in ara ſacra, unica illa hora contulerint non admodum multi ſupra libras ſeptuaginta optimi puriſſimique argenti. Liberalitas etiam in iis rara, qui abundant copia rerum omnium. At vero plebem pauperculam, nec adhuc religionis paganicæ bona fide oblitam tam liberatam ex anguſtis rebus ſuis eſſe, adeo inexſpectatum erat, ut ne qui vixerunt tum, ſine prædicatone ſingulari ac commemoratione honeſtiſſima ad poſteros prætermittere valuerint.

V. Liberalitatis hujus ac beneficentiæ erga ſacrum ordinem extant documenta plurima multorum: nec in Suecia ſolummodo, ſed & Dania, ubi Margareta, regis Sueciæ Ingonis filia, Danorum regis Nicolai conjux, quicquid ferme opum pretioſæque veſtis habuit, in ſacerdotum ac templorum uſum benigniſſime convertit. Turpe rata, ſuam, quam Divinam domum conſpici cultiorem, & ſe ornatam, miniſtros vero Dei, in conſpectu Divino interque ſacras munia nudos ac pannoſos. Nolo memorare tot exſtructa cœnobia templaque ab Erico, Schuerchero, Carolo, Canuto regibus, aliisque; tot prædia villasque in uſus ſacerdotum dono datas, ut ex ſuperfluis, otioq; ac ignaviæ ipſorum potius, quam pietati publicæ ſervientibus uno tempore Guſtavus tredecim millia earum in regni fiſcum, & nobilitatis per civilia tot bella exhauſtæ refectionem revocare potuerit. Magnum regem cognomento Laduloos tam munificum & liberalem memorant fuiſſe, ut per Sueciam omnem nullum fere fuerit templum, nullum monaſterium, imo ſacellum nullum aut altare,

quod

quod non prolixa opulentia, ſplendidiſſimoque ornatu ditaverit atque excoluerit.

VI. Celebris eſt quoque liberalitas Stenonis Sturii junioris erga eos, quos Divinis deditos miniſteriis cernebat. Inter alia id iſto loco memorandum, quod cum Leonis Decimi Pontificis legatus, Johannes Angelus Ariemboldus ad eum veniſſet, reverentia cultuque, quo complectebatur ipſum, cum alias habuerit ſplendidiſſime, tum omni genere pretioſarum rerum liberaliter donaverit. Præ cæteris nominatur lamina argenti puri, menſæ rotundæ magnitudinem æquantis, bene craſſa, ut ſervire poſſet loco menſæ hujuſcemodi, qua non ornatum modo, ſed etiam locupletatum hoſpitem a ſe dimiſit. Equidem non examinamus hic religionis in Stenone rationes omnes, a quibus potuit ad iſtum Pontificii legati cultum invitari. Liberalitatem ſolum, atque eam ex non inhoneſta cauſſa profectam merito ſuſpicimus.

VII. Quo autem te elogio efferemus Guſtave Adolphe, tuamque erga ſacra, & quæ ipſis ſerviunt, artes bonas ſtudiaque munificentiam plane regiam honorabimus? Jacuerant per bella civilia deſertæ litteræ. Academia Upſalienſis unica totius regni, religionis ſub Johanne concuſſæ occaſione, cauſſisque aliis deſerta fuerat. Tu primus ipſi, ſtudiisque honeſtis auxiliarem porrexiſti dextram. Tu bona a parentibus majoribusque hæreditario jure parta pleraque in conſervationem piorum doctorumque virorum liberaliſſime contribuiſti. Tua munificentia Upſalienſis Academia hodieque numerat

merat villas prædiaque ſex & trecenta, ſuis uſibus ſervientia. Tua primum auctoritate ac impenſis ſtudioſi juvenes centum quinquaginta quotannis ali Upſaliæ cœperunt. Qui deinde longe lateque ſervientes commodis publicis, quicquid ſibi, quicquid profuerunt aliis tuæ beneficentiæ deberi animo gratiſſimo profitentur. Neque ſolum Academia Upſalienſis ſeſe debet tuis beneficiis, ſed & Aboenſis, abs Te primum condita, longoque poſt conſervata tempore. Ipſi à conſortio humano remoti, ac in ultimo Septentrione degentes Lappones munificentiam tuam prædicant, cujus ſubſidio erecta in ipſorum terris ſchola ſubinde producit, quorum opera è cæcis paganorum tenebris eruti, ad Chriſtianæ pietatis lucem valeant emergere.

VIII. Studuit ut aliarum, ita hujus etiam virtutis laude ſuam gratæ poſteritati commendare memoriam Johannes Skytte. Nam cum didiciſſet ipſo uſu, quantum gerendis rebus conduceret prudens eloquentia, & vero induſtria propria partas haberet opes ſplendidas, ne Juventus Academica idoneo deſtituta magiſtro, artem ſumme neceſſariam negligeret, villas duodecim, cum ædibus lateritiis, in uſum & ſalarium Eloquentiæ Profesſoris fruendas rara munificentia legavit teſtamento perenni, atque id à Guſtavo Adolpho confirmari fecit. Qua viri benigniſſimi humanitate invitati ex illo inde tempore viri litteris egregii etiam ex peregrinis illam Academiæ huic navarunt operam, cujus eam jure nunquam poteſt pœnitere,

IX. Johannis Skytte exemplum æmulatione hone-

honeſtiſſima ſecutus Carolus eſt, cognomento Gyldenhielm, donatis Academiæ Upſalienſi villis ſex, in pauperum duorum, ſed ingenio pollentium diligentiumque ſtudioſorum ſuſtentationem. Exſtant donationis ejus tabulæ ante annos quadraginta circiter confectæ, quarum vigore hæredes etiam nunc ſervant incorruptum viri munificentiſſimi beneficium, illiusque virtutis ſuæ præcones habent viros egregios, qui liberalitate iſta adjuti paſſim egregiis funguntur muneribus, publicoque multiplicem afferunt utilitatem.

X. Nullo jure hic omiſerim illuſtres fæminas, virtutis hujus gloria inſignes. Inter quas primum tenet locum jure ſuo Chriſtina, Guſtavi Adolphi mater, quæ alendis ſtudioſis triginta, thalerorum decem millia legavit teſtamento. Liberalitate prorſus regia, unde animus ipſius erga bonas litteras & ſtudia honeſta clariſſime eniteſcit.

XI. Addimus huic Dominam Annam ex Trollorum gente vetuſtiſſima, quæ aliquanto ante in alimentum ſtudioſi unius Wexionenſi Eccleſiæ liberali dono tribuit imperiales mille atque centum, ſic ut ejus ſummæ fructus in illius commoda perpetuo converterentur. Et gaudent hodieque munificentia iſta pulcerrima ingenia, inque uſus ſacros civilesque hujus beneficii ſubſidio egregie adoleſcunt.

XII. Neque te hic præterire fas eſt Chriſtina Bielke, quæ pro ſingulari pietate tua, & in bonas artes voluntate honeſtiſſima beneficiorum tuorum publicare fontem, ſtudioſique adoleſcentis paupertate preſſum

animum adſperſione illius recreare voluiſti. Vigent iſta munificentia tua juvenes egregii, ſuaque incrementa tuæ unius opportunæ beneficentiæ accepta ferunt. Quare nulla erit tam obliviosa poſteritas, quæ te ob virtutem iſtam non gratiſſima memoria perpetuum recolet ac celebrare ſtudebit.

XIII. Sed jam pridem audio Chriſtinæ reginæ voces exprobrantes mihi turpem ſui negligentiam. Et profecto tanta ejus ſemper erga litteras litteratosque fuit benevolentia, tam prolixa gratia, ut incertum ſit, an hac parte ſibi ſimilem habuerit. Non poſſum hic, ut in transcurſu, enumerare beneficia, quibus per regnum omne Academias, Gymnaſia, Scholas vel ornavit, vel amplificavit locupletavitque. Neque quæ privatim tribuit ſingulis, hac brevitate explicari queunt. Nullus ordo eſt, nec ex ipſis ullus aliquis, ſi modo ipſe meritis ſuis auſus fuit fidere, quem præterierit. Nec privata ſolum vel domeſtica, ut ſic loquar, ejus fuit hæc beneficentia. Extendit ſe in regiones peregrinas etiam, longeque diſſitas, ibique quicquid fama celebre, litterisque elegantioribus cultum ac politum inveniri potuit, largiſſime irrigavit ac locupletavit. Et ut conſtat aliquo exemplo tantum inuſitata illius munificentia, unicam Freinshemii orationem, quo natalem ejus alterum & viceſimum celebravit, mille imperialium thalerorum dono ſplendidiſſimè ornavit. Quale nihil ante accidiſſe uſquam ſcimus, ac nec poſt futurum eſſe facillime perſuademur.

XIV. Volebam nunc ad liberalitatem cæteram pro-

procedere, cum mihi vellit aurem M. Andreas, Præpoſitus Upſalienſis, qui ante ſæcula floruit tria, æqualisque D. Brigittæ fuit. Nam & is amore litterarum ſtudioſæque juventutis, quia ſentiebat impediri multos paupertate, quo minus exteras viſerent regiones, ac in iis celebres Academias, Pariſienſem maxime, cujus tum ante alias illuſtriſſimum fuit nomen; ideo pecunia ſumtuque ſuo Pariſiis comparavit domum egregiam, cum minoribus nonnullis adjacentibus, hortoque amœniſſimo, ut Studioſi Sueci non modo habitare ibi, abſque precio conductionis, ſed & reliquarum rerum neceſſariarum copiam memorabili hac munificentia habere poſſent, omniaque iſta Eccleſiæ Upſalienſi liberaliſſime donavit.

XV. Necdum hinc abire licet. Occurrit enim nobis etiam Laurentius Petri Nericius Archiepiſcopus Upſalienſis, cujus cura ſub Guſtavo primo pietas Chriſtiana & religio nitori ſuo priſtino eſt reſtituta. Certe ſingularis ejus memoratur liberalitas inſignisque erga pauperes præſertim ſtudioſos, quorum plurimos ſubinde, una etiam vice ſupra quinquaginta numero impenſis ſumtuque ſuo aluit. Quæ ipſius virtus eo magis prædicanda, quo ſi conferas cum moribus vulgatis hujus generis, rarius in eo deprehenditur. Quanquam Laurentius quanto per hanc piam erogationem factus eſt nummorum pauperior, tanto nominis celebritate gloriaque pulcerrimi officii locupletior, quæ manebit ipſum, quamdiu monumenta litterarum ad poſteritatem transmittentur.

XVI. Nunc ad te revertimur Stenone Sturi,

Nec enim in ſacra modo, eorumque miniſtros, ſed & alios quoscunque benigniſſimus liberaliſſimusque ſemper extitiſti. Ac ne hoſtes quidem potuiſti prætermittere, quo minus ipſis etiam beneficum te præberes. Fidem pene ſupergreditur, quod narrabo. Venerat Rex Daniæ Chriſtiernus ſecundus, ſubmotum ab imperio Stenonem, occupatumque Sueciæ regnum. Obviam fit ei Steno, copias ipſius cædit, ipſum fuga compellit ad naves. Reverſuro domum Chriſtierno ipſi reluctantur venti, atque poteſtati velut tradunt Stenonis. Neque fuit ea mora paucorum dierum: ſupra menſes tres detinebatur integros, & quicquid habebat rei annonariæ, cogebatur abſumere. Poterat à Stenone ſola fame Chriſtiernus expugnari, cuncta occupata tenente littora. Verum cum induciis oblatis amicum ſeſe ſimularet Chriſtiernus, non illas ſolum à Stenone obtinuit, ſed & ingenti copia frumenti, rerumque aliarum vitæ ſuſtentandæ neceſſariarum liberalitate incredibili donatus eſt. Ita quem paulo ante Chriſtiernus hoſtem habebat acerrimum, exiguo temporis momento per ſingularem animi generoſiſſimi liberalitatem expertus eſt benefactorem amiciſſimum.

XVII. Dixeris non ſine cauſſa, Stenonem noſtrum veluti ſucceſſione quapiam hæreditaria veniſſe ad virtutis hujus gloriam, quippe quæ frequenter etiam in majoribus ipſius effloruit. Certe Suanto Sture tam beneficus in ſuos liberalisque prædicatur extitiſſe, ut quandoque ipſe ſibi detraheret veſtes, illisque ornaret familiares, quos virtute moribusque honeſtis cernebat emine-

re

re ante alios, habitu vero cætero, dignitatem ſuam minus commode tueri.

XVIII. Claudet nobis agmen liberalium Guſtavus primus: cujus virtutem ipſa oportunitas neceſſitasque fecit illuſtriſſimam. Cum enim anno circiter M D XXVIII. tanta eſſet frumenti penuria per Uplandiam præcipue, propter ſterilitatem diuturniorem, ut pleriq; vitam tolerare arborum corticibus adigerentur: Rex ſuorum civium miſertus ex fiſco erogavit ſummam ingentem, & ex Livonia vicinisque regionibus aliis advehi annonæ copiam bene magnam curavit. Quam deinde per minutam plebem in agris ad templa ſingula viritim juſſit dividi, marcæ unius, ut appellant, pretio, id eſt needum quinta imperialis parte tonnas ſingulas, nec plus tribui cuique, quam quantum propriæ familiæ alendæ ſatis eſſet, ne quis poſſet liberalitate iſta, quæ non parva ſumma Regi conſtitit, abuti ad oppreſſionem aliorum, ſed haberent ſinguli, unde victitarent. Ita pars eſt conſervata maxima, cui pereundum fame fuiſſet, ſi Guſtavus fiſcum ſuum quam incolomitatem civium amore teneriori coluiſſet.

DE GRATITUDINE
CAP. XXIII.

Liberalitati non ſubjunxero potiori jure aliam virtutem, gratitudine. Hæc namque eſt, cujus iſta pretio animatur. Tolle grati animi ſignificationem, non profecto ſecus atque flatu boreæ fontem

beneficentiæ liberalitatiſque omnis exſiccaveris. Quare gratitudini non propter ſe ſolummodo debetur honor, ſed & propter utiliſſimam humano generi gratiſſimamque liberalitatem; imo propter omnes pene alias virtutes, quas exercent plerique non aliis fere de cauſis, quam gratiæ ac voluntatis bonæ aliorum erga ſe ſpe certa & indubitata.

I. Ordiar à vetuſtioribus, ipſoque populo Suecorum. Is non modo Reges aliosque de ſe bene meritos titulis honorabilibus ac cognomentis decoravit, aliumque Sapientem, alium Liberalem, alium Victorioſum, alium alio inſignivit vocabulo, ſed & res ipſorum geſtas perennis gloriæ cauſſa celebrare carminibus ſolennibus, & modulatione grata per convivia circulosq; conſuevit. Addebantur ſæpe pocula, nominibus egregiorum ante defunctorum inſignita, ut pia recordatione merita ipſorum viverent inter cives, etiam poſtquam ipſi vivere deſiiſſent, & quum aliter non poſſent, nominis ſaltem repetitione grata perpetuum colerentur. Legitur exemplum hujus rei in memoriis antiquis de Grammeri filia, quæ Hiervaro imitatione conſuetudinis illius poculum Rolfonis Krake propinavit, memoriamque clari quondam etiam apud Suecos, cum privatus adhuc eſſet, viri laudabiliter recoluit.

II. Vetuſtiſſimo gratitudinis exemplo, quod in populo Suecorum commendatur, addam recens aliquod. Cum enim Sueciæ regnum longo tempore deferri conſueviſſet per ſuffragia, cui viſum eſſet, Guſtavusque primum immaniſſimam Chriſtierni tyrannidem

virtu-

virtute ſingulari ac felicitate oppreſſiſſet, patriamque reſtituiſſet libertati priſtinæ ac honori, totus populus Suecorum per gratiſſimi animi cultum ac obſequium Guſtavum memoratum non Regem ſolum ſibi fecit, ſed & ſublata priori, licet diu obſervata eligendi ratione, regnum hæreditatis jure poſſidendum ipſi tradidit, publicisque in comitiis Aroſiæ celebratis filios nepotesque ipſius, quamdiu reliquus eorum aliquis futurus eſſet, ſuccedere in imperium juſta ſerie conſtituit. Atque ita perenni erga familiam Guſtavianam obſequio libertatis ſuæ per ipſius incredibiles labores partæ memoriam gratiſſimam pulcerrime velut obſignavit.

III. Ex eadem ipſius gratitudine hoc quoque fluxit, quod, cum jus ſucceſſionis ante dictum pertinerent ſolum ad virilis ſexus poſteros Guſtavi, iique defeciſſent in nepote ipſius Guſtavo Adolpho, ipſe vero gloria geſtarum rerum non modo domi, ſed & apud exteros plus, quam quisquam unquam ſuorum majorum nomen gentis Sueticæ illuſtraſſet, fines amplificaſſet imperii, poſtremo vitam ipſam ſpiritumque impendiſſet libertati dignitatique publicæ, in defuncti ejus locum concordi civium omnium atque ordinum ſuffragio ſubrogaretur filia ipſius Chriſtina, ætate licet adhuc immatura, cumque mox adoleviſſet, ritu ſolenni crearetur Sueciæ regina.

IV. Sed jam ſinguli commemorandi ſunt. Primus eſto Birgerus, Magni filius. Tumultum contra ipſum excitaverant Gothlandi quodam tempore, quod ſe onerari novis crederent tributis. Hos dum coercere

armis nititur Birgerus, ipſe ab eis profligatus in fugam conjicitur. Dum conſternatus metu quærit latebras, corylus occurrit forte, ſub cujus ramis denſiuſculis & quaqua verſum patentibus tutum ſeſe fore confidit. At is à ruſticis inventus ibi, multisque affectus eſt verberibus. Erant aliqui, qui occidendum clamarent. Et jam alii intentabant ei necem, cum ex cæteris unus, ſive quod noviſſet Regem, ejusque etiam in hac fortuna revereretur majeſtatem, ſive quod alias commiſeratione quadam ejus duceretur, agere cum ſociis ſuis cœpit per enixas preces, atque obteſtationes ſummas, ut omitterent tandem hominem ſemimortuum. Hic elapſus Birgerus ruſticorum furioſorum manus cum ad ſua perveniſſet, hominis benefici pietatem rependiſſe dicitur multis magnisque muneribus, immunitatemque ipſi atque poſteris indulſiſſe perpetuam. Ut qui dediſſet ei incolumitatem, is reciperet libertatem, omniumque rerum copia & affluentia abundaret.

V. Eſt huic geminum Caroli noni factum, cum ab Henrico Wrede in fuga ſubminiſtratione melioris & celerioris equi liberaſſet ſe ab imminente ſibi à Polonis vel cæde, vel captivitate poſt prælium improſpere ad Kerkholmam Livoniæ commiſſum. Nam & nomen ipſius nobilitatis honoribus titulisque illuſtravit, & familiam prædiorum nonnullorum dono liberali locupletatam, in eximia ſemper caritate ac dignatione habuit. Quæ hodieque floret inter cæteras familias præluſtres ſto Caroli judicio animoque.

VI. Hanc iſti retulerunt gratiam beneficiis ſibi ipſis

ipſis præſtitis at illam Guſtavus Adolphus præſtitis ſimul patriæ. Cum in Boruſſia quodam tempore emiſiſſet Achatium Tott cum ducentis circiter equitibus ad explorandos hoſtes, ſedecim vexilla Polonorum ſic circumdederunt hunc, ut recipiendi ſeſe facultatem haberet nullam peritus. Nolebat ipſe in manus hoſtium venire, multo minus tot egregios milites hoſti prodere. Quare ſuos ad virtutem adhortatus: bis perrumpit adverſarios decuplo plures, neque ſe ac ſuos ſervat modo, ſed & cæſis centum quinquaginta fere, qui obſtiterant, ſigna quoque quatuor capta Regi dono effert. Quam virtutem ejus raram, patriæque egregie navatam operam Rex Guſtavus rara etiam remuneratus gratia præmioque eſt. Nam convocato exercitu in ipſis ejus oculis Achatium Tott accinxit ipſe gladio, equeſtrique dignitate per ſolennia negotii illius auxit ac ornavit, inuſitata ſingularique cum ipſius gloria.

VII. Guſtavum Adolphum æmulatione feliciſſima expreſſit Carolus Guſtavus. Aſchenbergium namque circa Conitzam manu exigua, Polonorum ſigna triginta quinque adorientem, tria eorum cædentem millia, cæteros pleroſque ignibus delentem, hacque incredibili ovantem victoria, primum quidem præfectura rei tormentariæ decreverat ornare. Verum modeſte illam recuſanti, ſua deinde manu militarem ex ſerico faſciam, qua cinctus ipſe fuerat, Carolus Guſtavus circumdedit in conſpectu militum ducumque præcipuorum, pauloque poſt, ſi ita pergeret, ſecuturum enſem (equeſtrem dignitatem innuens) affirmavit. Exemplo priſcis apud

Romanos Imperatoribus æquando, qui vix alio majore gratæ mentis teſtimonio præſtita reipublicæ officia declarare conſueverunt.

VIII. Omiſerim fortaſſe rectius ejusdem non in homines ſolummodo, ſed & beſtias gratitudinem, narrabo tamen. Habebat juvenis adhuc, & cum ſub Torſtenſonio præeſſet uni equitum vexillo, equum prorſus egregium. Is cum aliquando in conflictu quodam ab hoſtibus obrutum preſſumque abſtulerat fuga in tutiora, transmiſſa ingenti ſaltu foſſa latiſſima, per quam nemo hoſtium ſubſequi eum audebat. Ergo hoc equi beneficium Carolus Guſtavus tanti æſtimavit, ut recoleret ſubinde, nec niſi raro ejus uteretur miniſterio, ad poſtremum cum ætate factus eſſet debilis inutilisque, nihilominus præberi ei pabulum uberrime præcepit, curaque peculiari eum ante cunctos aluit cæteros, donec ipſe ultro vivere deſiiſſet.

IX. Non poſſum non hoc loco memorare Chriſtinam Reginam, quippe quæ cum erga alios, tum præſertim erga vitæ ſtudiorumque ſuorum rectores ac magiſtros extitit gratiſſima. Namque alios honoribus ac titulis ornavit ſplendidiſſimis, alios incredibili pecuniarum copia locupletavit. In Freinshemio vero ſingulare prorſus virtutis illius ſuæ ſpecimen exhibuit. Erat civitas Vangionum poſt confectam in Germania pacem compulſa, ſuam quoque conferre pecuniarum ſummam ad ſolutionem ſtipendii, quod militiæ Suecorum debebatur. Cæterum cum eſſet ſic exhauſta malis, ut ea res ipſi acciderit difficillima, pro ipſa orat enixe Johannes

Freins-

Freinshemius Chriſtinam, ſiqua ratione tolerabilior effici conditio ipſiús poſſet. Quid Chriſtina? In gratiam Freinshemii, quem tum ſtudiorum habebat magiſtrum, ſummoque complectebatur amore, totam propemodum iſtam ſummam civitati remittit, hacque facilitate oppreſſam prorſus atque conculcatam erigit pulcerrime, recreatamque veluti de integro condit. Pulcerrimo etiam ad alios exemplo, illos maxime, qui fideli magiſtrorum opera eruditi ad eas pervenere facultates, ut ex pulvere ac ſordibus vindicare ſe in lucem posſint, & ad eas pervenere dignitates, per quas gratos deinde vel præceptoribus ipſis, vel illorum viduis liberisque citra minimum rerum ſuarum diſpendium ſe præbere valeant.

XI. Revocat hæc Chriſtinæ gratitudo in memoriam exemplum vetuſtiſſimum Hottheri Regis, quod omiſiſſem pene, licet ſit eximium ac ſingulare. Puer is adhuc à parente Atislo commendatus fuerat Gevaro Norvagiæ Regi, ſapientia virtuteque ante alios tum celebri ac claro, ut ex familiaritate cum ipſo convictuque doctior quotidie ac melior evaderet. Neque deſiit Gevarus ipſe omni ratione animum Hottheri excolere. Venit poſt Hottherus ipſe ad imperium: Gevarus vero à Gunnone quodam aulico nefarie per inſidias occiditur crematurque. Quod cum nunciatum eſſet Hotthero, ipſe memor Gevari erga ſe meritorum, cum puer adhuc ſub ipſius diſciplina conſpectuque verſaretur, non ſolum vi adgreſſus eſt Gunnonem, & jam imminentem Norvagiæ imperio ſpe dejecit ſcelerata, comprehenſumque

ſumque gravi affecit ſupplicio, ſed & regnum Gevari, quod habebat in poteſtate ſua, per gratiſſimi ſignificationem animi pro educationis ſuæ moleſtia, Gevari liberis piiſſime reſtituit. Ita educationis probæ fructum etiam poſt mortem Gevarus retulit ab Hotthero, gratique animi pignus regnum integrum ſuis redditum accepit.

DE AMICITIA
CAP. XXIV.

PRogredimur ad amicitiam, certiſſimum neceſſitatum humanarum præſidium, ſine quo deſerta plane foret vita mortalium, nulliſque utilitatibus mutuis juvaretur. Quanquam vero eam nemo probet, in qua favor cœcus magis, quam honeſta dominatur ratio, tamen cum ſit tanta etiam vulgaris amicitiæ gratia, ut propter commoda infinita, quæ conjuncta ſibi habet, omnibus ſit accepta, iccirco utriusque dabimus exempla.

I. Vetuſtiſſimæ memoriæ celebrant Hundingi, Sueciæ Regis, amicitiam cum Hadingo Rege Daniæ. Poſtquam enim feſſa bellis utriusque gente coiviſſent mutuo pacis quodam fœdere in amicitiam, hæc eo uſq; crevit, tantaque conſenſione animorum voluntatumq; alterum conjunxit alteri, ut cum Hundingus rumore, falſo quidem, ſed quem ipſe verum credidit, comperiſſet, Hadingum inteſtina quadam ſuorum machinatione caſum eſſe, is non modo pro illarum conſuetudine temporum

porum honore convivii exequialis ipſum proſecutus ſit, ſed ſimul in conſpectu ſuorum ſemel ipſum in dolium mulſo plenum dederit præcipitem, ſicque vitam finiverit ſuam, amico ſupervivere non ſuſtinens, ſed quocum in vita conjunctiſſime verſatus eſt, ab eo ne in morte quidem paſſus ſe divelli. Equidem non commendamus vim allatam ſibi ob amicum; amicitiam tamen tantam in pagano ſine admiratione ſumma legere non poſſumus.

II. Non diſſimilis eſt multum amicitia Anundi Regis, vulgo dicti Carbonarii, cum Olao Rege Norvagorum. Nam & inter ipſos ſumma fuit conſenſio conjunctioque, ſic ut alter alterum, quantis poſſet modis, juvare atque conſervare ſtuderet. Cumque ad poſtremum Olaus à ſeditioſis civibus prope Stikelſtadium fuiſſet interfectus, Anundus caſum ejus tanto proſecutus luctu dicitur, ut deinceps abſtineret omni cultu ſui curaque, confectusque mœrore ſummo non multis diebus poſt ipſe quoque diem obiret ſupremum. Poteſt ſane etiam de Anûndo dici, eſſe aliquem lugendi modum, ultra quem non procedat recta ratio, neque amicitiam quantamlibet, am ici poſtulare necem. Tamen tanta vis eſt infucatæ ſol idæque amicitiæ, ut ſæpe nihil horum ſentiens vel proponens ſibi, ad extrema tamen iſta exerret atque prolabatur.

III. Eſt & clara in hiſtoriis antiquis amicitia inter Thora Jenrskiœld & Gœthricum Regem Weſtrogothiæ. Nam cum hic ab Irlandiæ Rege Hrolfone, cujus regnum armis invaſerat, ingenti ſuperatus prælio, & cum

& cum pauciſſimis ſuperſtes captus, carcerique ſqualidiſſimo incluſus eſſet, Thore vero dictus ſortem ejus cognoviſſet, non quievit, priuſquam ipſe profectus in Irlandiam ſummo ſuo cum diſcrimine amiciſſimum ſibi Gœthricum liberaret ex tam miſerabili conditione. Nec propoſito defuit eventus. Quando memorabili virtute eductum è carcere non libertati modo priſtinæ reſtituit, ſed & in regnum patrium reduxit. Quæ amicitia eo eſt admirabilior, quod inter paulo ante hoſtes acerrimos interceſſit.

IV. At Herrodi atque Boſæ amicitia fidem pene ſuperat. Habebat Boſa æmulos non paucos in aula Regis Oſtrogothorum Ringonis, qui quocunque modo ſubvertere ipſum Regique inviſum reddere ſtudebant. Auctor ejus odii plerisque fuerat Ringonis filius, nomine Sicæd, frater Herrodi, cujus clandeſtina machinatione acciderat aliquando, ut ſub ſpecie ludi Boſam conarentur interficere. Sed ipſe ſtrenuus fortisque non modo periculum à ſe avertit, ſed & æmulorum ſuorum alius brachium comminuit, alterius excuſſit oculum, unum ipſa etiam privavit vita. Qnod allatum ad Regem effecit, ut abire Boſam in exilium compelleret. Neque dubitavit Herrodus Boſam amicum etiam in exilium ſequi, tanta erat à prima pueritia inter ipſos conjunctio voluntatum animorumque. Non ita multo poſt per tempeſtatem divulſo Herrodo Boſa ipſum infortunii ſui auctorem Sicæd ex Ruſſia cum ſuppellectile pretioſa multa in uſus Regis patris coemta reducem offendit in Finlandia, navalique prælio adgreditur, ad poſtremum

mum ipſum etiam interficit. Videbatur Boſa commiſiſſe crimen, nullo, niſi ultimo ſupplicio expiandum. Ipſe nihilominus ſingulari fretus amicitia, quam cum Herrodo ſemper coluit, iter inſtituit ad ipſum, rem, ut geſta erat, exponit. Poterat non immerito Herrodus iraſci fratris ſuo interfectori. Sed in tantum valuit vis amicitiæ, ut non modo ſalvum eſſe apud ſe permitteret, ſed & cædem iſtam apud Regem patrem excuſaturum ſe polliceretur. Venit quoque ad Ringonem Herrodus, proque amici incolumitate orat modis omnibus, multamque offert, quantam Rex exigeret. Erant ſurdæ Regis aures, qui putabat indignum, æſtimare vitam filii quantalibet pecunia. Itaque iratus etiam Herrodo, Boſam affirmat necaturum ſe ſuſpendio, ut primum in poteſtatem ſuam incidiſſet. Sed neque ira patris, neque fratris cædes abſtrahere Herrodum valuere ab amicitia, quam auctiſſimam coluerat cum Boſa. Quin potius aperte jactat apud iratum patrem, nec absque multa indignatione, velut dedignatus pater eſſet quidquam ſuis precibus tribuere, ſe conjuncturum ſeſe Boſæ, eandem cum ipſo, qualiſcunque futura eſſet, ſubiturum fortunam, ſubmoturumque vi, vel quacunque poſſet ratione, ſi quis hoſtem ſe offerret Boſæ. Atque ita fecit. Nam non multo poſt acerrimo prælio ipſe atque Boſa cum Ringonis exercitu ad utrumque capiendum miſſo conflixit. Cumque ſuperatus eſſet eo prælio, & cum Boſa tractus in carcerem, precibusque virorum magnorum liberatus ab ultimo ſupplicio, quod Rex de utroque ſumere decreverat, veniam iſtam ultro repudiavit, niſi

&

&amicum Boſam ſalvum poſſet habere. Quod cum pertinaciter à Rege negaretur, ipſe reverſus eſt in carcerem, vel liberaturus ſimul ſecum amicus, vel cum eo ſubiturus ipſam mortem. Neque deſtitiſſet exequi ſui animi conſilia vel adverſus ipſum patrem regemque, niſi caſus alius utrumque cum Rege reconciliaſſet. Hic ſunt vires amicitiæ, ut ipſam etiam vitæ dulcedinem extinguant, adeo non alios neceſſitudinum titulos attendunt.

DE CARITATE CONJUGALI CAP. XXV.

EST & inter conjuges amicitia, eo major ſæpe, quo intimioribus cauſſis coaluit, & ſuavioribus experimentis mutuo innotuit. Itaque amore flagrant conſtantiſſimo, quem neque tempus, neque difficultas ulla minuit interrumpitve, adeo ut quandoque augeat, & faciat eo ardentiorem pertinacioremque, quo laborioſius ſe exerit. Liquebit iſtoc ex ſequentibus.

I. Gunilda, Aſmundi Regis uxor, caritate ſumma ſuum perpetuo complexa eſt maritum. Itaque cum in prælio ab Hadingo haſta trajectus cecidiſſet, hunc ejus obitum tanto accepit dolore, ut marito ſupervivere non ſuſtineret, verum impotens doloris ipſum pectus ſuum ferro perfoderet. Proſecuta etiam in morte, quem viva omnis gaudii, honoris, fortunæ, habuit auctorem, atque ſine quo illarum rerum nihil porro ad ſe pervenire poſſe credidit.

II. Ignoro, annon paganorum temporibus hoc fuerit

fuerit frequens, ut conjuges maritis ſuis ſocias præberent ſeſe individuas etiam in morte. Totta certe Skarpnartungeri uxor præcipitem ſe dedit è ſaxo, è quo dejicere ſe ſolebant ejus viciniæ homines, qui cauſſis quibuscunque anticipare fatum vellent, ſecuta exemplum mariti ſui. Similia fecere Hiotra Holmodi, & Fiotra, Ymſyguli conjuges, ſimulque cum maritis de prædicto ſaxo prolapſæ finem vivendi fecerunt. Utræque conjugem ſuam etiam in morte violenta comitatæ ſunt. Qua ex re ſi quæ foret gloria, non Thracum, non Indorum ea foret ſola unicaque, verum parte ſua non exigua Septentrioni quoque per caritatem fide calentiſſima ſervatum inter conjuges deberetur.

III. Sed nos potiori jure commendamus caritatem, qua complexa maritum fuit ducis Johannis uxor. Floruit is ſub Johanne primo, Miti dicto, perque annos novem integros adverſus Ruſſos Ingriosque fortiter rem geſſit, toto iſto tempore abſens à patria, nec vel intervallo breviſſimo reviſens ſuos. Itaque non potuit, non ſuo reditu cum familiares cæteros, tum uxorem maxime exhilarare. Sed quid accidit? Ea ipſa nocte, qua reverti domum debuit, Eſthones, Boruſſi, Carelii, Vandalique, latiſſime pervagari maria, littus omne Meleri lacus infeſtum expilationibus deprædationibusque ſuis pridem fecerant, nil tale opinantem adoriuntur, circaque Aſchenes miſerabiliter obtruncant. Quæ res quanto dolore animum uxoris paulo ante per adventum mariti cariſſimi exultantem oppreſſerit, nemini non intelligitur. Non tamen luctum illa vel in vota mulie-

bria, vel in vivendi aliquam impatientiam convertit, verum contractis circa prædium Hundhammer quantas potuit, militum, agreſtium, familiariumque copiis ſecurius agentes Eſthonas ad ſcopulum adorta, internecione ingenti mactatos delevit, hocque pio fortique facinore loco ipſi nomen peperit, quando deinde Eſthaklippa dictus eſt. Quam in hoc ejus animo veniunt multa prædicanda? Nam & luctui modum ratione ſtatuit, & virili audacia ulta eſt injuriam, & privati doloris ultione publicæ utilitatis curam habuit. Verum vincit cætera longiſſime, quod maritum ſic dilexerit, ut ipſius cædem non lamentis ignavis proſequi voluerit, ſed ſolatium quæſiverit doloris in ſupplicio eorum, quos illius habuit auctores.

IV. Eſt huic fidei, & erga maritum caritati non diſſimile, quod legimus de Thorberga, Regis Rolfonis conjuge. Cum enim fama, licet falſa, percepiſſet, ipſum cum ſociis exercituque interfectum in Irlandia, more, quem puella etiam obſervaverat, ſe ipſam armis induit virilibus, captoque gladio & clypeo, cum Ketillo Weſtrogothorum, & Ingaldo Danorum Regibus, quos in ſocietatem belli cum exercitu copioſo evocaverat, iter inſtituit in Irlandiam, navibusque ſexaginta omnem eam vaſtat inſulam, ferro igneque populata, donec ad ipſam penetraſſet regiam, ultura cædem mariti longe dilectiſſimi in ipſo Regis capite. Neque conſilio pio, & amore conjugis ferventi defuiſſet eventus, circumdatis jam flammis ignibusque arci, niſi occurrens Rolfo & conjugem errore, & ſe ſuosque, qui tunc ibi erant con-

conſtituti, præſentiſſimo exitio in tempore liberaſſet.

V. Vidimus mulieres; videamus nunc & viros. Sed quem ante Hagbartum? Flagrabat is amore incredibili Daniæ Regis filiæ, Signes nomine, quæ non minus ipſum propter genus partim (erat quippe Amundi Sueciæ Regis filius) formamque, partim vero & præcipue propter virtutem invictumque animum diligebat. Sed cum, occiſis Signes fratribus in ultionem interfectorum ab ipſis fratrum ſuorum, intelligeret ſpem ſibi omnem potiundæ Signes à Sigaro, patre occiſorum interclusam, dolorem adgreditur, mentitur ſe puellam; miniſteria ſua offert filiæ regiæ, poſtremo ut puella recipitur. Mox ſeſe Signæ aperit, junctaque fœderis conjugalis fide, amata potitur. Res diu occulta manere non potuit: ergo capitur Hagbartus, & ad patibulum abducitur. Signes conſpecto in patibuli ſummitate Hagbarti amiculo, quod ſignum mortis jamjam imminentis inter eos convenerat, ſe ipſam cum aula ſua cremat. Hagbartus viſa ſurgente ex cariſſimæ conjugis ſuæ domicilio flamma moræ omnis diuturnioris eſt impatiens, hortaturque lictores, ut laqueum cervici injiciant, perque fractam gulam animæ aperiant iter cum fidiſſimæ uxoris anima liberiori conſortio, & conſtantiori gaudio apud inferos inſtituendum. Atque ita factum. Signen crematam Hagbartus ſuſpenſus fide, caritate, voluptate maxima eſt proſecutus.

VI. Mitius equidem Gothricus, ſed tamen graviſſime conjugem ſuam luxit. Filia fuit Haraldi Wan-

dalorum Regis, Alfhilda nomine, quæ cum virtutibus eximiis, tum cætera vitæ morumque elegantia Gothrici animum habebat ſibi devinctiſſimum. Itaque cum diem ſuum obiviſſet extremum, tanto is affectus eſt dolore, ut noctes diesque loqueretur nihil, nihil cogitaret, niſi Alfhildam ſuam. Poſtremo cum ne à defuncta quidem cremataque divelli poſſet, curam regni aliis commiſit, ipſe ſuper tumulum, quem ingentem extrui, ac imponi cineribus defunctæ curaverat, confidens perpetuo, ac veluti cum viva. ita cum defuncta ſocietatem colens arctiſſimam, mœrore continuo ſe confecit, vivendique poſtremo finem invenit.

DE PIETATE ERGA REGES CAP. XXVI.

CAritatem privatam ſuperat merito ea, qua civis bonus patriæ reipublicæque cauſſa Regem Principemque complectitur. Itaque tametſi nobis noſtrisque cupiamus optime, nemo tamen eſt, niſi improbus ſceleratusque, qui non malit ſalutem Regis ſalute ſua ſuorumque anteponere. Videlicet ab hujus ſpiritu, vita, incolumitate, ſalutem vitamque pendere tot millium intelligimus, quos omnes in uno Rege diligimus, in uno Rege incolumes optamus eſſe, ac ſi noſtræ res eſt poteſtatis, ipſo opere præſtamus. Quod exemplis ſubſequentibus aliquanto manifeſtius colligitur.

I. Ordiar à recenti aliquo. Cum in Livonia Carolus Nonus ſuperatus eſſet prælio, quod cum Polonis

nis prope Kerckholmam commiſerat, elabi non potuit, quin à quibusdam fugiens agnoſceretur. Quare hi quam poterant, concitatiſſimo ſubſequebantur curſu, ſpe pene certa ipſius capiendi. Equum Rex habebat cum per tot horarum laborem exhauſtum, tum propter hoſtium imminentium feſtinationem defatigatum penitus. Et jam tantum non in manibus ipſorum erat Carolus. Cum occurrit ipſi quidam Henricus Wrede, oratque Regem enixe, quem videat habere equum jamjam viribus conſumtis prolapſurum, ut ne dedignaretur capere ſuum, quem ſciat præſtantiorem validioremque, ac ſe fuga longiore eripere, conſervareque rebus ſecundioribus in ſalutem patriæ. Simul equo ſuo deſilit, Carolumque jubet feſtinare. Nondum bene abieratRex, cum caterva Polonorum inſequentium, qui è longinquo viderant Henrici ope adjutum ſubduxiſſe certæ captivitati ſeſe Carolum, Regis equo ad ulteriorem fugam inepto hærentem circumdant, enſibusque in partes minimas conſcindunt. Neque non providerat hocWrede, quipppe qui exitii ſui certus abeunti Carolo ſe ſuaque meliorem in modum commendaverat. Sed hæc fuit viri fortiſſimi Regisque ſui amantiſſimi pietas incredibilis, ob quam interire præoptavit morte acerbiſſima, quam omittere minimum, quod ſaluti Regis cerneret conducere.

II. Succeſſu lætiore pietatem erga Regem ſuum teſtatus eſt Matthias Soop. Cum enim Guſtavus Adolphus prope Weiſſemburgum in Boruſſia cum Cæſareanis Polonisque, Nagothum flumen ſuperantibus

prælio confligeret. Rex ipſe acrius, quam cautius invectus per tumultum pugnantium ſic immixtus fuit copiis hoſtilibus, ut ſe ipſum ex Cæſareanis unum aliquandiu ſimulare cogeretur. Neque tamen potuit efficere, quin poſtremo ex Polonis eum apprehenderet nonnemo, copiarum hoſtilium neſcio quem ſuſpicatus eſſe. Dum jam eſt captivus Guſtavus Adolphus, ſollicitudine ingenti virtuteque adcurrit Matthias Soop cum nonnullis aliis, Polonum, qui ducebat Regem, ægreque ſequenti ultimum jam intentabat exitium gladio ad ictum ſublato, glandis plumbeæ ejaculatione transverberat, ipſum è medio hoſtium, & captivitate ipſa abſtrahit, arreptoque equi regii freno, ſecumque curſu concitatiſſimo ad ſuos reducto, libertati priſtinæ reſtituit. Sic unius Sopii animoſa erga Regem pietate tot victoriarum gloria, qua per Guſtavum Adolphum deinde nomen gentis Sueticæ inclaruit, unius ſcelerato ictu tantum non intercepta, pulcerrime ſervata manſit.

III. Non multum eſt diſſimile, quod de Petro Bannerio proditum habemus. Cum enim belli Danici temporibus ille ipſe Rex Guſtavus Adolphus gelu adſtrictum ſuperare flumen deſtinaſſet, accidit, ut rupta male fida glacie illapſus aquis videretur jam oppreſſus ſuffocatusque. In hoc inopinatiſſimo triſtiſſimoque juxta caſu conſternatis cæteris, Petrus Bannerius adcurrit, Regemque apprehenſum, quanta poteſt ope, educit, non ſine ſuo præſentiſſimo ex tenuitate glaciei periculo, ſalvumque militibus Imperatorem, patriæ patrem publicum reſtituit, ſalutis ſuæ negligentiſſimus, ſi per diſpen-

dium

dium ejus ſalutis ac ſecuritatis omnium ſervari cuſtos atque conſervator poſſe appareret.

IV. Habuit & alias hoc quaſi proprium Guſtavus Adolphus, ut à ſuis ſupra communem modum amore incredibili diligeretur. Nemo fuit, qui non corpus, ſanguinem, vitam ipſam, ſi ſic poſtularet uſus, pro ipſo liberaliſſime exponeret. Docuit, ſi quid aliud, extremum prælium, quo cecidit. Divulgata namque per exercitum pugnantem ejus morte, nemo fuit, qui poſt Regem ſuum quæreret velletve vivere. Fermones præcipue hoc nuncio in deſperationem rabiemque acti, non ſtudebant amplius ut vincerent, ſed ut Regis, herois ſine exemplo maximi, cædem indignam memorabili ad poſteros excidio adverſariorum vindicarent, ac officio huic pietatis pleno ipſi etiam immorerentur. Hic dum quidvis agunt non pro victoria, ſed honeſta morte, Regisque cæſi juſta ultione, pulcerrimam à duobus hoſtium exercitibus ſucceſſu duplicato victoriam adepti ſunt.

V. Triſtiſſimum exemplum nunc ſubjiciam, quod tamen ipſum pietatem ſummam erga Regem comprobabit. Erico decimo quarto per ſcelerata quorundam aulicorum, præcipue Dionyſii Beuxi Galli, conſilia eo adducto, ut ſuſpectos habere omnes, ac velut imminentes imperio, alios aliis de cauſſis è medio tollere inciperet, accidit forte, ut Nicolaus Sture non ita diu ante ab ipſo ad Cæſarem & Lotharingiæ Ducem orator miſſus, reverteretur domum, Regemque Upſaliæ verſantem re feliciter confecta, ut ſperabat, quæreret adire. At vero

Ericus non ipſi magis, quam Suantoni Sturio aliisque favens, quos in carcerem diebus paucis ante detruſerat innoxios, eodem illum quoque jubet abduci. Neque multo poſt Ericus ipſe venit, viſurus captivos. Ad cujus pedes cum ſe projeciſſet Nicolaus ſupplex, ipſeque irarum odiique plenus pugione, quem habebat ad latus, evaginato pectus ipſi transverberat. Poterat dememiniſſe Regis poſt hoc vulnus, qui exuta perſona ſua induiſſe carnificis videbatur. At nominis dignationisque regiæ reverentia eo adegit Nicolaum, ut è pectore proprio pugionem ipſe educeret, honoratumque pio oſculo Regi Erico reſtitueret. Adeo etiam in impiiſſimo ipſius facto non potuit non cultu extremo proſequi vicinus morti caput, regni Suetici diademate conſecratum ornatumque.

VI. Quo minus admirari poſſumus caritatem ſummam, qua complexa Regem Magnum, cognomento Ladulaas, gens univerſa Suecorum, maxime plebs ruſtica memoratur. Poſtquam enim diem ſuum obiit extremum in Viſinga inſula Smalandiæ, corpusque ejus capulo incluſum Holmiam deferendum eſſet, ubi ſepeliri voluit, agreſtis multitudo certamine incredibili ſubire feretrum quæſivit, neque deſtitit, donec per dies integros duodecim ſuccedentibus in defatigatorum locum aliis recentibus illuc ipſis humeris eorum eſſet deportatus. Scilicet cujus æquitate ac juſtitia res ſuas ſalvas ſemper habuit multitudo, & ob curam iſtam ſingularem vivendi ſpatia optavit maxima longiſſimaque, cum aliter, quam ipſis humeris cervicibusque ſuis reddi meritæ quieti nefas arbitrata eſt.

VII. Addam adhuc unicum exemplum, quod occurrit in Erico, quem deinde Diſertum appellarunt, ſive Sapientem. Fuit is privatus juvenisque in aula Geſtiblindi Regis Gothorum, ipſumque ut parentem publicum pietate ſumma proſecutus ſemper eſt. Cum ergo inter Geſtiblindum & Alricum Sueciæ Regem ortum esſet bellum, & Alricus caſu filii commotus, quem in prælio amiſerat, Geſtiblindum provocaſſet ad certamen ſingulare, vel ulturus cædem filii, vel cum ipſo finiturus vitam, Geſtiblindus vero eſſet ſenio confectus, periculum hoc ſibi depopoſcit Ericus, atque ut faciliorem pietati ſuæ locum faceret, indecorum fore cauſſatus eſt, ſi Rex ſenex ac decrepitus cum vegeto, florentisque ætatis juvene congrederetur. Quare ad poſtremum exoravit Geſtiblindum, ut quod ſubire diſcrimen certaminis alter debuerat, ipſe reciperet in ſe, ac cum Alrico Rege prælium iniret. Neque fuit illa levis pugna, ſed quæ alterutri vitam, & cum ea regnum erat ereptura. Igitur concurrunt magnis viribus, vulnerantur ambo graviter, neuter cedere vult alteri. Ad poſtremum ab Erico ictu letali confoſſus Alricus, ſpiritum victoriamque relinquere coactus eſt. Ita pietate non infelici quidem, magnis tamen argumentis, vitæ ſcilicet periculo & altiſſimis in corpore vulneribus probata, Regi ſuo non quietem modo ſalutemque Ericus, ſed & regni florentiſſimi poſſesſionem adquiſivit. Dignus vel hoc nomine, cui à Geſtiblindo regnum illud redderetur, & à civibus deinde amor ſingularis pietasque exhiberetur.

VIII. Revocat hoc exemplum in memoriam,

quod exercitus Suecorum edidit in obſidione arcis Calmarienſis, tempore Guſtavi primi. Cum enim oppugnare illam ſuos præcepiſſet, contra omnium opinionem ſtrenue ſe defendentibus obſeſſis, qui arcem tenebant nomine Bernhardi de Mylen, coacti ſunt abſiſtere à longiori oppugnatione. Quare Guſtavus indigniſſime ferens hanc ſuorum ceſſionem, velut ignavia metuve accidiſſet, increpat cunctos verbis ſeveris, mox ipſe toga projecta thoracem ferreum dari ſibi poſtulat, cum galea cæteriſque armis ſuis, pugnaturus dextra propria in obſeſſos, & vel occupaturus arcem, vel honeſtam in prælio ſubiturus mortem. Hac ira Regis conſternatus exercitus, ſimul per amorem ejus ſummum anxius de ipſo, capitique illius metuens, ſeſe precibus opponit maximis, ſupplexque orat, ut omitteret hanc curam, ſaluti ſuæ conſuleret, in quo verſetur ſalus omnium, pericula relinqueret militibus, ſe pro Rege ſuo extrema tentaturos, & prius morituros omnes, quam conceſſuros, ut pugnam & diſcrimen ipſe ſubeat ſummo totius exercitus cum dedecore. Quid hoc certamine pium magis? quid hac de ipſius Regis etiam præcipiti conſilio victoria glorioſum magis ac laudabile? Neque defuit promiſſis militum fides. Nam ex quadringentis ſclopetariis poſt impreſſionem ſecundam vivi non reverſi plures, quam quatuor, & ex ſignis quatuor aliis militum pauciſſimi.

DE

DE REGUM ERGA CIVES SUOS AMORE

CAP. XXVII.

CAritatem, qua cives boni complectuntur Reges ſuos, hi viciſſim caritate ſimili conſueverunt compenſare. Scil cet hoc eſſe ſciunt maximum efficaciſſimumque amoris ſecretum, ut ſi amari velint, ipſi quoque ament. Neque alio validiore inter ſe cohærent vinculo imperantes ſubditique, quam hoc mutui amoris. Quem proinde Reges boni largiter copioseque diſpenſant inter cives, certi, nil per eum majeſtati ſuæ dignationive decedere, contra cumulari augerique ſtudia, quibus in commoda ſalutemque ipſorum cives feruntur.

I. Amoris hujus pulcerrimum habemus in Guſtavo primo exemplum. Nam cum arcem Calmarienſem bis improſpere oppugnaſſet, ſicut in ſuperiori capite monſtravimus, plurimosque milites, eosque optimos amiſiſſet, ac præter ipſos duces præſtantiſſimos, Petrum Fredagium, Johannem Petri, aliosque, non potuit diutius perferre pietatem erga ſeſe tam improſpero ſucceſſu coli, perque ipſam civibus optimis ſe ſpoliari, ſed receptui cani juſſit. Cumque ſpectaret proſtratos tot egregios viros, temperare nequivit, quin ubertim lacrymas profunderet, teſtes locupletiſſimos doloris, quem ex caſu miſerabili ſuorum civium perciperet. Equidem ſolebant olim, qui pro ſuis fortiter pugnantes cecidiſſent, variis ornari elogiis. At has Regis Guſtavi lacrymas in

iſta

iſta civium militumque ſuorum jactura profuſas, ego omnibus elogiis clariores, & ad poſteritatis memoriam durabiliores cenſeo.

II. Eſt ejusdem illud quoque caritatis erga cives documentum, quod loquuntur commendantque temporum illorum monumenta. Cum Smalandi, Jœnecopenſes maxime, Weſtrogothorum quorundam exemplo permoti defeciſſent ab ipſo, cunctaque latrociniis & direptionibus turbaſſent, interfeciſſent præfectos ejus nunciosque, ipſam poſtremo ſororem illius Margaretam, Comitis Johannis de Hoïia conjugem, peregre adventantem,& ad Regem fratrem ſuum iter inſtituentem excepiſſent in via, tenuiſſentque captivam, noluit has ferro ulciſci injurias, verum miſit Gudmundum Petri, præfectum arcis Stockholmenſis, cum Andrea Simonis Conſule, ac quibusdam aliis, qui componerent iſtas turbas quibuscunque, modo non palam iniquis atque inhoneſtis conditionibus. Atque ita factum. Quam illi Smalandis ad Lekared oblivionem ante actorum omnium, ſive contra Regem, ſive cæteros Guſtavi nomine ſunt polliciti, eam Guſtavus ipſe ratam habuit, ſummaque fide ſervavit, nolle ſe profeſſus ſanguinem ſuorum, ſed pluris multo facere tranquillitatem & concordiam civium, quam quibus ipſe privatim ſuique affecti ſint quantaslibet injuriam.

III. Similem erga cives animum teſtatus eſt ſubinde Carolus Guſtavus etiam. Illud prorſus memorabile, quod cum in Comitiis publicis ageret de bello Polonis inferendo, ac plerique omnes cenſerent, Regem id

per

per præfectos ducesque ſuos abunde poſſe conficere, ipſum domi rectius manſurum, plebs denique ac agreſtium multitudo jugi clamore hoc efflagitaret; hic Carolus Guſtavus ad eos converſus: vos vero ipſi vobis officitis hiſce precibus, videlicet non meminiſtis, plerosq; veſtrum habere filios nepotesve ſuos in exercitu. Hi ſunt, quorum cauſſa me exire ipſum neceſſe eſt. Nam duces quidem mei eos habent, uti ſunt, pro militibus ſuis. Ego vero ſcio, non ſolum eſſe milites meos, ſed & cives, pro quorum proinde ſalute incolumitateque non ſecus, ac pro mea ipſius mihi vigilandum ſentio.

IV. Pertinet huc ex veteribus Haquinus cognomento Rode ſive Rufus. Licet enim non deeſſent ipſi neque virtus, neque facultates, quibus rem præclare gerere adverſus æmulos & infenſos nomini Suecorum poſſet, tamen hoc ingenti erga cives ſuos amore pellectus, pacem colere per tempus univerſum imperii, quod annorum fuit tredecim, quam vel minimo civium ſanguine abuti ad ambitionem ſuam vel imperii amplificationem improbam malebat. Teſtatus ſubinde, ſuo eſſe animo jucundius gratiusque, unum ſervare ruſticum, quam centum hoſtes interficere.

V. Enituit & caritas Suantonis Sturii ſenioris erga cives, licet in diverſo argumento ac negotiis domeſticis. Nam cum alii ſe intra aulæ ſuæ continere ſoleant parietes, ipſe creber egreſſu verſari maluit cum civibus. Fuitque tanta ejus bonitas, ut ad quoslibet, etiam humilimos ex plebe ruſticosque diverteret. Nec cum eis agebat faſtidioſe, verum ſumma cum humanitate fami-

miliaritateque. Jam primum omnium cum intraſſet ædes alicujus, non modo patremfamilias, cujuscunque foret ſortis, ſed & conjugem ipſius liberosque porrecta dextra verbisque civiliſſimis ſalutabat. Poſt cum capiendus eſſet cibus, eosdem omnes ad ſe invitatos ſuæ adhibebat menſæ, decentique collocatos multa orationis jucunditate provocabat ad hilaritatem. Poſtremo quod fuit ſine dubio ſummum caritatis argumentum, inter reliqua colloquia diligentiſſime ex eis exquirebat, quomodo ſe gererent præfecti ſui, num præter fas æquumque quid ab ipſis extorquerent? Quod ſi quem in reſpondendo depræhendiſſet tergiverſantem, eum animabat adhortatione prolixa fideique ſuæ ſpontanea pollicitatione. Ut palam eſſet, plus diligere incolumitatem civium ſuorum, quam cupiditatibus præfectorum indulgere.

VI. Adducit nos hæc caritas Stenonis ad commemorationem ſimilis in Guſtavo Adolpho virtutis. Nam & ipſi fuit frequentiſſimum, in itineribus comites & aulicos poſt ſe longo relinquere intervallo, & cum pueris agreſtium, quos fallebat ſpecie privati, vel cujusdam militaris viri, habitu nil ſupra vulgarem modum ornatus, familiariæ inſtituere colloquia, de dominis ſuis, quorum eſſent tributarii, inquirere, quo ab ipſis haberentur modo, quantum exigerent, & quæ hujus generis ſunt alia. Quin imo agreſtium iſtos pueros ipſe ſæpe trahæ imponebat ſuæ, poſtque cuncta bene explorata nummis aliquibus donatos a ſe dimittebat. Severiſſime dein animadvertens in eos, quos injurios in agreſtes fuiſſe teſtimoniis certis evidentibusque comperiſſet.

DE CARITATE PATRIÆ
CAP. XXVIII.

CAritates omnes jure ſuo illa, quæ nobis eſt cum patria, complectitur. Itaque natura ipſa dictitante nemo eſt, niſi ſumme impius, qui non velit omnes labores, moleſtias, pericula, pro ea ipſam denique, ſi exigat neceſſitas, promto paratoque animo ſubire mortem. Adeo amicitias cæteras huic æquaverit nemo, ne dum prætulerit. Quippe quæ ne ipſæ quidem poſſint eſſe ſalvæ, patria non ſalva. Sed nunc adducenda ſunt exempla.

I. Singularis fuit amor patriæ in Engelberto, qui oppreſſa per Ericum Pomeranum Suecia quidvis agere ſuſtinuit, ut a turpi ſervitute reſtitueret in priorem libertatem. Ergo primum ex Daliis, ubi ſedem domiciliumque habebat, iter & longum & periculoſum ingreditur in Daniam, incuſaturus regios præfectos, & ex iis quendam Jœſſe Erichſonium præcipue, crudelitatis, avaritiæque inexplebilis, qua totam Sueciam opprimebant. Et extudit ab Erico reſponſum cum litteris ad ſuos, cum quibus Holmiam regreditur. Mox intellecta literarum vanitate, quippe quæ mandatum nullum continerent idoneum coercendi ſcelera miniſtrorum regiorum, altera vice idem iter inſtituit, ſæpiusq; a rege dilatus, vel cum offenſione ipſius ad eum accedit, querelasque priores majori cum ardore repetit. Cum ne ſic quidem proficere ſe quidquam cerneret, ab irato rege juſſus inde faceſſere, adgravariq; potius per invidi-

am

am odiumq; mala publica ſentiret, poſtremo arma corripit, occupatiſque arcibus, & dejectis publicæ quietis turbatoribus, rem eo adducit, ut ſperare Suecia libertatem ſuam auderet. Qua ſingulari erga patriam deſolatam pene proculcatamque caritate meruit deinde, ut pro novo quodam Sueticæ libertatis conditore auctoreque coleretur.

II. Similis fuit amor in Guſtavo Primo poſt oppreſſam immanitate dira Chriſtierni ſecundi Sueciam. Niſi quod alter quidem ſocios haberet ac amicos ab initio quoque, quorum fide nitebatur, Guſtavus plane neminem. Quo magis licet admirari amoris illius in ipſo magnitudinem, quod ſolus unicusque, recens elapſus e cuſtodia, ex exilio redux, inops rerum omnium imparatusque, cum ex adverſo Chriſtiernus occupata teneret omnia, optimos & eminentiſſimos quosque Suecorum capite multaſſet, cæteris vix reliquiſſet miſerum pauperemque ſpiritum, de liberanda patria conſilium agitare ſuſtinuerit. Sed hæc vis amoris veri. Nihil ei aſperum, nihil impoſſibile. Quidvis tentat, ut ſe utilem patriæ faciat, ſi non opere, exemplo ſaltem, cujus meditatione diſcant alii meminiſſe ſui erga patriam officii, commodaque ejus, quacunque ratione datur, procurare.

III. Ad hunc patriæ amorem pertinet, quod de Lincopenſi Epiſcopo, Cattillo nomine, referunt annales. Cum enim & ipſe ſummo cum mœrore animi videret, quantis cladibus efficeretur Suecia per Chriſtiernum primum, Daniæ regem, quem nonulli conſilio

parum

parum circumſpecto in ejecti Caroli Canuti locum ſub-rogaverant, pati longius hæc mala non potuit, ſed convocatis Canonicis, ut appellant, ſuis, templum ſummum Lincopiæ ingreditur, primoque induit ornatum omnem ſacrum, quo Epiſcopi utuntur rem divinam facturi. Paulo poſt eundem exuit, inque ara ſacra diligenter reponit, conceptis ſimul jurans verbis, in præſentia omnium, ſe non recepturum prius ornatum iſtum, quam à fœda Chriſtierni tyrannide oppreſſam patriam quacunque ratione priſtinæ reſtituiſſet libertati. Tum lorica galeaque ſe armavit, accinctusque gladio inſtar ducis militaris templo eſt egreſſus. Cumque comites ipſius ad hæc omnia ſtuperent gemerentque metu imminentium, ipſe verſus ad eos ſic de ſui animi propoſito, ex Pſalmo ſacro: Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exſurgam, dicit Dominus. Atque ita convocato celerrime exercitu rem geſſit ſtrenue adverſus Chriſtiernum, neque deſtitit ab incepto, donec ipſum ejeciſſet, revocaſſet Carolum Canuti, regnum denique reſtituiſſet in priorem tranquillitatem.

IV. Eſt & ad memoriam poſteritatis celebrandum Axelii Oxenſtiernæ dictum, plenum multiplicis erga patriam amoris. Vocato namque ad imperium Carolo Guſtavo, cum Axelii res aliquanto lætius inciperent ſuccedere, ac ad priſtinum redire habitum, venit aliquis dignationis magnæ vir ad eum, qui familiarius cum ipſo vivere conſueverat, priſtinosque honores cum auctoritate ſumma exiſtimationeque reſtitutos illi gratulatur. Cui Axelius agere primum gratias, mox revocatis tem-

porum ſuperiorum vicibus, habui equidem ô bene, ait, cauſſas neque paucas, neque leves, ob quas exemplo aliorum, maxime Radziefskii alicujus vel Ulfeldii deſerere meos, & ad alios tranſire potuiſſem: verum ſemper malui, & nunc quoque mallem cum innocentio meo (hæc fuere ipſa ejus verba) deſcendere in forum, cervicemq; præbere carnifici, quam vicinis æmulis; Sueticæque libertati inſidiantibus manifeſtare patriæ meæ imbecillitates, atque ita ipſam in exitium, me in ſempiternam proditæ illius infamiam conjicere. Macte iſtoc animo Axeli, quo metuiſti, ut fortunam pœniteret ſui criminis, & vel invita tecum redire in gratiam compelleretur.

DE FACUNDIA
CAP. XXIX.

Virtutes hactenus commemoravimus, addamus nunc & inſtrumenta quæpiam earum, quibus armatæ validius quandoque vel celerius negocia expediunt. Inter hæc ſi ullum, eloquentia profecto numeranda. Quid enim prudentia ſine hujus miniſterio idoneè efficiat? Sed & fortitudinem non raro animat exſtimulatque. Juſtitiam vero, moderationem, beneficentiam, virtutesque cæteras ſic ornat commendatque, ut absque illa aſperæ, immites, inamabiles eſſe videantur.

I. Ericus tertius tanta floruit facundia, privatus etiam juvenisque, ut ſuperaret ea omnes alios. Inde cognomentum quoque ipſi inditum, DISERTUSque appel-

appellatus eſt, non per adulationem paucorum, quod eſt frequens in aulis, ſed conſtanti atque incorrupto multitudinis conſentientis judicio, quem iccirco velut publicum facultatis hujus in ſe ſingularis præconem hodieque ſervat in Annalibus antiquis. Neque ſine cauſſa, cum hac ſua eloquentia bellum graviſſimum, quod à Gotharo Norvagiæ imminebat, Frothoni Daniæ Regi compoſuerit, Regesque inimicos in concordiam reſtituerit priorem.

II. Memoratur in veteribus monumentis etiam Matthiæ Kettillmundi eloquentia. Regno quippe per inteſtina Birgeri cum Erico atque Waldemaro fratribus bello deſolato, ipſoque in exilium pulſo ad poſtremum Birgero, cum ad quietem publico reſtituendam nihil magis videretur conducibile, quam ſi ſub Rege uno male cohærentia coirent iterum Suecorum membra, Matthias hic in concione populi totius tanta ſermonis ſuavitate gratiaque celebraſſe res à patre Magni, Erico, fratre Birgeri exulis, Magnoque Rege, avo ejus geſtas, ut capti ea dicendi virtute, atque in ſententiam Matthiæ tracti, conſenſu miro Magnum, licet puerum adhuc necdum trium annorum, atque à Matthia, ut ab omnibus conſpiceretur, manibus ſublatum in altum, humerisque ipſius impoſitum, Regem ſibi conſtituerent. Ita eloquentiæ beneficio regnum quoque partum, Magnoque diu poſtea ſervatum fuit.

III. Non minori laude facundiæ floret hodieq; nomen Hemmingi Gadd, Epiſcopi Lincopenſis, inter noſtros. Ejus profecto graviſſimæ orationi, quam habuit

buit in Senatu regni temporibus Suantonis Sturii, effectum eſt, ut arctiſſimo cum Lubecenſibus, qui hoc petitum oratores ſuos miſerant in Sueciam, ſeſe Succi jungerent, ingentique claſſe Daniam adorirentur, propter damna, quæ Danorum Rex Chriſtiernus utrique populo ſuperioribus temporibus intulerat. Sed & Hemmingum ipſum hanc ob cauſſam claſſis illius imperio præfecerunt, quando fieri non poſſe crederent, ut qui tam prudenter de belli totius diſſeruiſſet rationibus, is non ſimul circumſpecte quoque ac feliciter adminiſtraturus illud ſit.

IV. Nicolai Ragualdi Archiepiſcopi Upſalienſis eloquentia non quidem felix fuit, ſicut præcedentium, cum in Concilio Baſileenſi tempore Erici Balbi primum, vel certe inter primos Patrum ibi congregatorum ſibi vendicaret locum, quando per ambitionem reliquorum obtinere nihil potuit. Non eo minus tamen venit celebranda, quod pro dignitate Regis ſui honoreq́, patriæ vires ſuas exeruerit, univerſæque teſtatum fecerit Europæ, quantum vel antiquitate, vel geſtarum rerum magnitudine antecedat alios pleroſque populos gens Suecorum Gothorumque. Ita namque hoc efficit ſaltem, ut ne in oblivionem veniret virtus non tam neglecta tum apud ſuos, quam occaſionibus deſtituta idoneis, quibus denuo ſe commendare famæ publicæ gens Suecorum Gothorumque valeret.

V. Nefas fuerit hic præteriri facundiam, qua cum neceſſe eſſet, virtutem commendare ſuam etiam Guſtavus Adolphus ſolebat. Equidem & alias non expo-

expoſcebat alieni oris operam, ſive legatis reddenda eſſent reſponſa, ſive in Senatu de graviſſimis deliberandum negociis, ſive ad populum de neceſſitatibus imperii inſtituendus eſſet ſermo. Quod apparuit præcipue, çum profecturus in Germaniam, regnum filiamque commendaret ſuis in comitiis ſolennibus oratione tam ad permovendos animos formata, ut plerique ne à lacrymis quidem tenere ſe potuerint. Illa tamen hic præcipue meretur memorati facundia, cum Stetinum adpulſus poſt egreſſum ſuum è Suecia præcipuos civium, qui partim ducem ſuum officii gratia extra urbem erant ſecuti, partim Regis viſendi ſtudio ultro egreſſi erant, affatus humanitate incredibili & injurias hoſtium, & ipſorum miſeram conditionem, & ſuum ipſis in neceſſitate illa opem ferendi ſtudium exponeret fide gratiaque tanta, ut Stetinenſium eſſet nemo, qui non faverit Guſtavo, bonitatemque ejus extulerit ad cœlos, poſtremo una cum duce in urbem munitiſſimam admittendum cenſuerit. Sic Guſtavus Adolphus eloquentia, quam armis prius fregit hoſtem, firmumque rebus ſuis præſidium, & bellis porro producendi velut domicilium primum, Stetinum urbem nactus eſt.

VI. Adſociabo iſtis adhuc unicum Axelii Oxenſtiernæ exemplum. Fuiſſe ipſum virum ſumma inſtructum eloquentia ignorat nemo, niſi qui illorum temporum ignorat omnia. Et extant ejus documenta plurima, cum in Senatu domi, tum apud Reges Principesque foris prodita. Illud hic privatim annotandum, quod cum poſt Guſtavi Regis obitum non pauci ex præfectis

militaribus, ſive tædio laborum, ſive ſtudio novarum rerum, ſive aliqua neceſſitate inter ſeſe conveniſſent, ut Axelium adorti compellere quacunque poſſent ratione, vel ſtipendia debita exſolvere confeſtim, vel à militia diuturniori liberare, idque clam denunciatum eſſet Axelio, evocatos ad ſe ſit affatus oratione tam benigna ſuavique, laudata prolixe ſingulorum virtute atque opera, expoſitaque pro iis Reginæ ſuæ voluntate propenſiſſima, cæterum difficultate temporum præſentium rationibus graviſſimis tam clare demonſtrata, ut ex ipſis eſſet nemo, qui meminiſſe conſilii prioris fas exiſtimaret, verum omnes denuo fidem & obſequium pollicerentur. Adeo cunctorum animos gravis illa penetransque eloquentia demulſit, ut nequirent reluctari, digreſſique alter alterum velut extra ſeſe raptum in præſentia dicentis Axelii, adſpiceret, non ſine riſu, denique ſe velut faſcinatos arcana quadam ineffabilique ſermonis humaniſſimi ſuaviſſimique virtute ultro profiterentur.

DE ROBORE CORPORIS CAP. XXX.

REbus gerendis non exiguum ſubinde adjumentum adferunt & vires corporis. Tametſi enim animi virtute opus habeant præcipue, qui laudabile clarumque quidpiam efficere conantur, tamen ea ſæpe hæret in conatu medio, quando corporis eſt deſtituta viribus. At ubi animo excelſo ſeſe ſociavit robur quoque corporis, inuſitato ſucceſſu deſtinata procedere plerumque conſueverunt. I. Pri-

I. Primum in hac exemplorum claſſe locum Haldanus Rex meretur. Ferunt enim veteres memoriæ fuiſſe tantum non animi modo, verum corporis etiam illius robur, ut cum aliquando certamine privato ſingularique ſolus pugnare cum Siguardo ſeptemq; filiis ipſius deberet, abjecto enſe quercum arripuerit, extractamque cum radicibus è terra, clavæ ſtipitisque loco adhibuerit in adverſarios, hocque unico ſoloque telo cunctos per virtutem incredibilem proſtratos interfecerit.

II. Etiam Stenkilli ſecundi clarum in annalibus eſt robur corporis. Quippe memoratur id fuiſſe tantum, ut celebratos fama quoque vulgi æquaverit propemodum gygantes. Nec fortaſſis eſt, cur dubitemus, cum inventi cunctis fuerint temporibus, qui communem ſortem hominum ſuperarent plurimum ſingulari virium præſtantia, eaque efficerent illius ope, quæ vix fidem apud poſteros è præſenti communique ratione hominum cuncta metientes, invenire poſſunt.

III. Memorat profecto de quibusdam temporum ſuorum Dalecarlis Olaus Magni, quod ſinguli boves ſingulos, vel equos tollere in ſublime, humerisque ſuis impoſitos per ſpatium nonnullum portare potuerint. Quod Olai de ipſorum viribus roboreque teſtimonium haud dubie vacillaret, niſi haberemus pridem apud veteres optimos fideque digniſſimos ſcriptores Milonem, taurum ſic deferre ſolitum per ſtadium Græcorum.

IV. Eſt ejusdem Olai de nonnullis aliis ſuorum temporum eximio corporis robore præſtantibus viris

teſtimonium, quod viderit incluſam dolio ligneo ferri crudi vim ingentem ad ſexcentarum, octingentarum, imo mille librarum pondo gravem humeris geſtare ad ſpacium longiſſimum. Et quod majus eſt, puellas etiam ſpectaſſe ait ſeſe aliquas, quæ ſingulæ mille librarum maſſam ferri, vel alterius metalli à ſolo elevare valuerint.

V. Idem adſeverat viſum ſibi quempiam, qui equitem, armis omnibus pro temporum illorum conſuetudine ex ferro ſolido fabrefactis indutum ornatumque, obviam forte factum, non arte aliqua vel induſtria ingenioſa, verum nudo ſimplicique corporis & membrorum vi roboreque, ſimul cum ipſo equo præcipitem dejecerit in terram.

VI. Cæterum quo iſtæc omnia minus veniant in dubium, ſubjungam, quem non ita pridem defunctum ſciunt omnes hodieque non per Sueciam ſolummodo, ſed & regiones alias non paucas, Ericum Leionhufus nominatum. Soleam is ferream, qua calceantur equi, recentem ex officina nudis manibus diſcerpere mediam ſæpiſſime ſolebat. Sed hoc leve eſt. Id ſingulare, ac ſtupendum, quod nunc memorabo. Singulos dextræ manus digitos inſerebat ſingulis bombardarum, quas muſquettas vulgo nominant, fiſtulis ferreis, omnesque junctim, nulla ope manus alterius, recto protentoque brachio elevabat ſurſum, ſublatasque ſic tenebat ſpacio bene longo. Quantum robur neſcio an in alio ullo facile repertum ſit.

DE

DE FELICITATE
CAP. XXXI.

VEniamus ad id, quod vel ſubſequi, vel comitari amat ſeriam virtutem, vitæque honeſtatem. Quod nil aliud, quam felicitas eximia & ſingularis. Solet quippe gratia cæleſtis amare ſtudium ſincerum recti honeſtique, ac id quaſi præmio quodam ſucceſſu proſpero beare.

I. Iſtiuſmodi ſucceſſu valuit perpetuum Guſtavus Adolphus, neque memorari poſſunt omnia, quæ ipſi proſpera contra ſententiam vulgarem evenerunt. Illud hic notari dignum eſt. Cum veniſſet primum in Germaniam, & Stetinum urbem, caput Pomeraniæ, poteſtatis ſuæ facere, prævenireque Torquatum, qui & ipſe cum Cæſareano milite illuc tendebat, ſtuderet, rebus ſuis magnum adjumentum allaturam; navibus Oderam flumen verſus urbem adſcendere propoſuit. Erat tanta venti contraſpirantis vehementia, ut moveri navis nulla in adverſum flumen poſſet. Rex nihilominus conſcendere navem ipſe, cœptumque negocium urgere. Quid fit? Eo ipſo temporis momento, quo cum copiis ſuis Rex ingreſſus erat naves, tanta venti facta eſt mutatio, ut haberet faventiſſimum, qui ante totis viribus reflabat, duarumque ſpacio horarum ſucceſſu incredibili ad urbem perveniret.

II. Fuit ſimilis fortuna Caroli Guſtavi. Documentum memorabile habemus in clariſſima cum Polonorum rege ad Warſaviam pugna. Durabat ea per

triduum integrum. Acies propter intercurrentes ſylvas rationesque alias non ſemel modo in dextram, modo in ſiniſtram transferenda, atque aliisque mutanda rationibus erat. Nunquam tamen immutata fuit, ut non, quacunque rex ſe verteret cum ea, iſtuc comitem haberet ventum etiam a tergo, rebus conducentem ſuis. Cujus deinde beneficio non levi pulcerrimam ab hoſte retulit victoriam.

III. Ejusdem Caroli Guſtavi etiam illud rariſſimæ felicitatis memorandum eſt exemplum. Cum ex Polonia veniſſet in Holſatiam, Jutiamque vicinam, ut perſequeretur Daniæ regem bello, quod ultro hic Carolo intulerat, occupataque Friderichſudda mare ipſum morari curſum victoriarum ipſius videretur, tanta repente vis exorta frigoris eſt, ut quod nunquam ante factum ullo tempore, fretum omne inter Jutiam Fioniamque interjacens firmiſſima conſtringetur glacie, per quam cum exercitu juſto equitum peditumque, tormentorum item æneorum copia non exigua rex ipſe iter faciens, inſulam inacceſſam, appulſu certe difficilimam putatam paucarum horarum ſpacio non invaſit modo, ſed & profligatis copiis hoſtilibus nil tale opinantibus poteſtatis ſuæ fecit, aditumque ſibi tandem ad Selandiam, ipſumque Danici regni caput Hafniam aperuit. Quam rem ne ipſi quidem hoſtes ſingulari Numinis Divini erga cauſſam Caroli Guſtavi gratia favoreque factam potuerunt diſſiteri.

IV. Cæterum ut hi comitem ſociamque conſiliorum habuere fortunam, ita ſæpe ipſa per ſe ſola ſine opera

opera humana expedire amat, quæ conducunt bonæ honeſtæque cauſſæ. Quod ex rebus Guſtavi primi obſervatur. Collegerat ejectus Chriſtiernus, quem ob diritatem nuncupant tyrannum, ope ſoceri Caroli Quinti Cæſaris copias bene magnas, easque navibus viginti quinque bellicis impoſitas ad recuperandum Sueciæ regnum trajicere in Norvagiam parabat. Spes erat prope certa eventûs feliciſſimi, cum Norvagi non magnopere obſiſterent, & nonnulli transfugæ ſpatriæque ſuæ proditores continuis eum animarent adhortationibus pollcitationibusque. Sed vix bene fuerat ingresſus mare, cum repente tanta ſurgit tempeſtas, ut cuncta ejus navigia huc illucque ſparſa, quo ſe verterent omnino ignorarent. Poſtremo alia verſus Scotiam, alia retro ad Friſiæ littora, alia in ſcopulos Norvagiæ compulſa periere miſere. Ipſe cum ſemilaceris undecim admodum poſt incredibiles difficultates portum tenuit ad Heſtanæs Norvagiæ, præcipuo militum præſidio, & ſpe rerum gerendarum juxta ſpoliatus. Ita Guſtavus etiam abſens neſciensque ventos ipſos habuit pro cauſſa ſua prælìantes, unicaque ipſorum opera non leve periculum a cervicibus ſuis ſubmovit.

V. Quod hic ventus, id alio tempore fecit glacies. Impetu & incurſione infeſtarant Ruſſi Finlandiæ vicina, late populati omnia poſtremo Wiburgum cœperant obſidere. Erat vicinum æquor Ræſchandenſe, in quod glacie congelatum convenerant, quotquot erant, de ſumma rerum deliberaturi. Dum in eo ſunt, glacies fidem, quam debebat Ruſſis nullam, nullam quo-

quoque ſervans, rumpitur momento, & omnes æquoris profundo hauſtos obruit. Sic fidiſſima Guſtavo perfidia glaciei Wiburgum ab obſidione hoſtium truculentiſſimorum liberata eſt.

VI. Non ita multo poſt Wiburgum idem a Ruſſorum vi ſervavit ſtrepitus. Cæperant jam muros quatere tormentis, cum ex parte altera de vicino horreo fœnum multum plauſtris Sueci devehunt in arcem, ne Ruſſis prædæ ſit. Ruſſi exaudito ſtrepitu rotarum in ponte ſublicio arcis per noctem fere totam, obſeſſis veniſſe auxilia ingentia equitum rati, obſidionem feſtinatione ſumma ſolverunt.

VII. Eſt huic non abſimile multum, quod temporibus Guſtavi Adolphi accidit. Quæſiverat is pacem ſæpius cum Moſchis, verum illi eludebant ipſum, non poſtulatis ſolum iniquiſſimis, ſed & injuria multiplici, circumvento Fratre illius perfidia turpi. Quare ad poſtremum tractus ad bellum, cum urbes alias ſubjecit ſibi, tum Netoburgum arcem ſitu opereque munitiſſimam, ac inſuperabilem propemodum obſidione per Jacobum de la Gardie cingi curavit. Videbatur tamen res futura ſi non irriti, ingentis ſaltem atque incredibilis laboris, cum præſertim numerus præſidiariorum, qui tenebat arcem, eſſet magnus, ipſique annona inſtructi copioſiſſima. Sed quid accidit? Inuſitatum atque ante illum diem inter Moſchos inauditum morbi genus præſidiarios invadit omnes. Puſtulæ verrucæque intra ora fauceſq; illorum pronaſcuntur copioſæ, quibus gulas intercludentibus, ſpiritusque ac cibi obſidenti-

dentibus vias debellantur plus, quam humanis ullis poſſent armis. Deniqne hoc pro Suecorum partibus pugnante morbo victi, & ad duos admodum proſtrati, ſine ulla clade ſanguineque Suecis relinquere Netoburgum compulſi ſunt.

QUI PERICULA MAGNA EVASERE CAP. XXXII.

Solet eadem fortuna in adverſis mira ſæpe induſtria juvare ſuos, & ex periculis præſentiſſimis contra omnem ſpem educere, quemadmodum ſequentia exempla teſtabuntur.

I. Carolus Canuti, gubernator regni ſub Erico Pomerano, cum in obſidione arcis Stegeborgenſis hæret, ultimum adiiſſe vitæ diſcrimen triplici vice memoratur. Fuiſſe namque inter cæteros præſidiarios illius arcis rei tormentariæ peritiſſimum aliquem, qui tertia vice tormentum æneum in Carolum directum habuit fatali ictu eum proſtraturus. Verum contra res evenit, quam ſperare quiſquam auſus eſſet. Quotiens enim magiſter ille accenſum igne quærebat exonerare tormentum; illud in partes plurimas diſſiluit, irritumque ipſius fecit conatum. Non ſine manifeſtiſſimo Numinis tutantis Carolum indicio. Nam ruptum ſemel, caſus poterat videri. At vero aliud poſt aliud, viceque triplici convulſum absque ſingulari providentiæ Divinæ cura cogitari utique non poteſt.

II. Simile indicium cœleſtis curæ erga Guſtavum

vum Adolphum apparuit in obſidione Ingolſtadii, capitis Bavariæ. Dum enim prope ripam Danubii cum Chriſtophoro, Marchione Badenſi, & quibusdam aliis huc illucque equitat, viſurus è propinquo ſitum urbis, tormentum in eum exploditur, cujus pila equus ſub ipſo trajectus periit, & ipſe ſimul in terram devolutus eſt. Quis hic non agnoſcat Numinis præſentiſſimi proviſionem curamque in cuſtodiendo Rege, ſuorum conſiliorum deſtinatorumque miniſtro? Cum præſertim ea ipſa hora ſimilis tormenti pila Marchioni memorato caput dejecerit: Rex nulla parte læſus ſurrexerit ab iſto caſu.

III. Par periculum felicitate pari evaſit in oppugnatione caſtrorum Cæſareanorum apud Norimbergam. Dum enim & ipſe pugnat inter primos, pila bombardæ manuariæ prætervolans pollicem dextri pedis ejus perſtrinxit, ocreæ ſimul partem abſtulit. Ipſe de cætero ſalvus ac incolumis permanſit.

IV. Fuit hac felicitate par Guſtavo Adolpho Carolus Guſtavus. Nam & ipſi in prælio Jancovienſi, quod longe celeberrimum Torſtenſonius commiſit cum Cæſareanis, vexillis aliquibus equitum præfecto globus plumbeus torulum capillorum ab aure dependentem abſtulit, ſalvo capite, cui paulo poſt ſacrum regni Suetici diadema imponi, & à quo incrementa ſua dignitas publica imperiumque ſumere debebant.

V. Admonet me hoc exemplum caſus ſingularis, qui Guſtavo primo accidit. Circa initia liberandæ patriæ venerat Upſaliam, & a ſacerdotibus illic conſtitu-

ſtitutis fidem dari ſibi popoſceret juramento. Quam rem cum comperiſſet Guſtavus Trolle Archiepiſcopus, confeſtim ipſe advolat, laturus ſuis opem, Guſtavum quoque nihil tale opinantem, paucisque inſtructum militibus ad vadum Ladebyenſe aſſequitur. Hærebat in medio vadi Guſtavus, cum ejus famulus viſo in ſe irruente aliquo ex copiis hoſtilibus tanto terrore ſeſe eripit fuga verſus Guſtavum, ut ſuo impetum faceret in Guſtavi equum, quo incurſu conſternatus equus & ipſe prolapſus eſt, & Guſtavum ſimul in flumen devolvit. Jam ſemimortuus, & tantum non captivus erat Guſtavus interfectusque, cum con verſi ejus pedites, qui ab altera erant ripa, tantam vim telorum in accurrentes temere hoſtes effundunt conſtantia tanta, ut interea colligere ſe Guſtavus, & proripere ad ipſos e vado poſſet, hoſtes denique cum nonnulla ſuorum ſtrage irritoque incepto retrocedere cogerentur. Ita contra omnium, etiam ſuam expectationem, à diſcrimine ultimo ſervatus eſt Guſtavus.

VI. Quoniam Guſtavi mentionem fecimus, adjiciemus illud quoque. Struxerant inſidias ipſi Lubecenſes per nonnullos factionis ſuæ cives Holmenſes. Et jam convenerat inter ipſos, ut aut ſedentem in templo per ſubjectum ſellæ pulverem tormentarium occiderent, aut in ærario inſpicientem rem nummariam transfoderent pugione. Morabatur tum in urbe nauta quidem, nomine Hans Windranck, quem ex conjuratis aliqui, ut notum ſibi amicumque, ac ob æs alienum, quod habebat ingens, facilem ad ſcelus, in ſocie-

tatem

tatem ſuam aſſumunt, poſtremo animatum ſpe promiſſisque, ac bene oneratum poculis domum deferri curant. Venit forte illo ipſo tempore vicini uxor Brigitta Nicolai nomine inviſendi ejus gratia, cui nonnulla conſilii cladeſtini inter familiare colloquium per ebrietatem ſignificat. Illa rem extemplo ad maritum, ipſe ad præfectum arcis defert. Ita res Guſtavo proditur unius mulieris fida induſtria. Capiuntur conſpirati, fatentur ſcelus, juſto afficiuntur ſupplicio: Rex vero ab ultimo diſcrimine, quod in diem proximum paratum ipſi fuerant, non ſine aperta Numinis divini cura liberatur.

VII. Non multum diſſimilibus inſidiis circumventus ante quoque fuerat propemodum quam adhuc in bellum adverſus Chriſtiernum deſcendiſſet. Cum enim ſolus erraret per Daliam, venit forte ad nobilem quendam in Ornæs, Arent Petri nomine, olim ipſi notum, cui quia amicum fidumque ſibi fore ſperabat, conſilia animi ſui aperit. At ipſe contra rem omnem ſignificat confeſtim præfecto Chriſtierni per Daliam, Brunoni Benedicti. Imminebat jam præfectus ille, Guſtavum in vincula conjecturus. Quod quia ſenſerat uxor dicti nobilis ex eo, quod maritus paulo ante villam prætervectus ea tendiſſet via, quæ ducebat ad præfectum regium, propterea commota ſive miſeratione Guſtavi, cui videbat imminere ultimum exitium, ſive pietate amoreque erga patriam afflictam, monet hortaturque Guſtavum, ut proſpiciat ſaluti ſuæ, confeſtim ſe ſubducat, & per vias minime uſitatas ad tutiora

reci-

recipere ſe quærat. Denique mariti ſui equum cum traha cæterisque neceſſariis ſubminiſtrat ei, fidumque addit famulum, qui eum deduceret ad Dominum Jonam, Paſtorem Suedſiœnſem, quocum Guſtavus Upſaliæ communium ſtudiorum cauſſa familiaritatem amicitiamque contraxerat. Sic tum quoque pietate fœminæ unius ultimum exitium mirabiliter Guſtavus effugit.

VIII. Etiam Guſtavus Adolphus inſidias ſibi ſtructas per Quintium aliquem de Ponte ſingulari ope divina evitavit. Contulerat ſe ad Guſtavum, ſpecie militis occultans proditoris atque parricidæ animum. Igitur cum quodam tempore in Pomerania cum paucis Rex exiſſet ſpeculatum, re comperta Quintius ad vicinos transvolat Cæſareanos, Regisque capiendi commodiſſimam occaſionem monſtrat. Mox ipſe cum mille quingentis adeſt equitibus, Regemque circumfundit. Accurrunt è veſtigio & vexilla quadam equitum cum juſta peditum manu Regi opem latura, obviosque Cæſareanos perrumpunt proſternuntque. Quintius ne ſic quidem à ſcelerato deterretur conſilio, ſed ſemel iterumq; Regem quærit globo plumbeo trajicere. Sed dum eſt in eo, manumque ſclopeto admovet, tantus, ſicut ipſe ultro deinde faſſus eſt, animum ipſius horror, tanta trepidatio invaſit, ut fatali ſtupore attonitus dextram elevare non valeret. Nemo eſt, opinor, qui in hoc negocio divinam opem Guſtavum Adolphum ſervantem non intelligat, ipſisque oculis pene deprehendat.

DE MIRANDIS CASIBUS CAP. XXXIII.

EVenire quandoq; ſolent aliquibus tam rara quædam inſperataque, & tametſi exterius videantur fortuita, ſi tamen propius inſpicias, non poſſis non à providentia ſingulari ſtatuere profecta, quæ quibuscunque denique de cauſſis ſuam gratiam in aliquos diſpenſet modo plane raro admirabilique.

I. Johannem Bannerium memorant, cum adhuc puer eſſet, in ſuprema parte ædium pueriliter ludentem, dum improvide huc illucque vagatur proſpectatve longius, ab eadem delapſum eſſe in vicinum hortum. Nemo perſuadere ſibi poterat, quin membris omnibus hoc caſu comminutis interierit, quando ædes eſſent prorſus altæ. At ipſe confeſtim à lapſu ſeſe colligens conſurgit, nullo ullius damni toto in corpore vel minimo indicio. Cumque familiares ſcire cuperent, quo pacto in tam periculoſo caſu evaſiſſet tamen ſalvus absque læſione membri alicujus, ipſe reponebat, labentem ſeſe manibus hortulani exceptum fuiſſe: cum negaret conſtanter hortulanus, ſe vidiſſe decidentem, adeo ei opem ferre minime potuiſſe. Unde colligebant, ſingularem eam Numinis fuiſſe curam, quæ conſervaſſet ipſum rebus maximis ſuo tempore gerendis. Neque vanum id fuiſſe augurium, eventus ipſe poſtea comprobavit.

II. Non multum eſt diſſimile, quod de Kurkio quodam fide dignis auctoribus narratur. Verſabatur is Aboæ litterarum gratia, dumque quodam mane in muſeo

muſco ſedet in feneſtra cum libro, derepente totus ille paries prolapſus eſt, ipſumque cum nonnullis aliis ruina una ſic proſtravit, ut ſperare nemo vitam ejus auderet. Verum aliter res evenit. Dum enim tigna aſſeresque ac rudera cætera, quibus erat coopertus, celeritate, quanta poſſunt, ſubmovent, alios quidem facie miſerabili comminutos, ipſum vero non vivum modo, ſed & integrum illæſumque inveniunt, licet tam denſe conſtipateque rudera jacerent circum ipſum, ut cum extraheretur, ocream ſimul alteram nequiret educere, ſed producto nudo pede inter ruinas relinquere ipſam cogeretur.

III. Mirabilis eſt quoque caſus nobilis cujusdam, tempore Caroli noni. Fuerat is Felini in Livonia, quod obſeſſum habebat Zamoſcius dux Polonorum. Dum hi oppugnant, ipſe cum cæteris præſidiariis Sueticis fortiter ſe tuentur, ignis neſcio quo caſu delapſus in pulverem tormentarium, qui in conditorio quodam arcis vicinæ ſervabatur, & conditorium illud cum arce, & propugnaculum ingenti ſtrage dejecit, in quo nobilis ille ſe adverſus hoſtes defendebat. Ita jactu incredibili ad ipſum Zamoſcii tentorium pulveris nitrali violentia per aerem delatus eſt. Quem poſtquam vidit Zamoſcius, primum velut mortuum tolli ſepulturæque tradi juſſit. Mox inſpectus propius videbatur quædam vitæ adhuc reliqua indicia prodere. Quapropter curam ejus jubet haberi, ſi forte ſervari poſſet. Quid fit? Dum revocillatur, dum habetur benignius, paucis diebus evadit ſalvus & incolumis, atque ſic ex ipſis Orci faucibus ex-

tractus per Zamoſcium non vivus ſolum valensque, ſed & liber ad ſuos remittitur.

IV. Ante annos non ita multos fuit Falunæ in fodinis æris, qui è cuniculo lapides ærarios recens exciſos debebat educere. Dum in eo eſt, ſaxa plurima ſuperne delapſa ſic occludunt os ſpeluncæ, ut pro obruto mortuoque haberetur, qui intus latitabat. Curant tamen exterius tollere ſaxa, repurgare locum, atque aditum ad ſpeluncam denuo aperire. Inter hæc audiunt intus magna induſtria laborantem, dejicientem, tundentem, velut conaretur erumpere. Quo majori ſtudio ipſi exterius ſubmovere cuncta quærunt. Elabitur dies unus itemque alter, neque interim, qui concluſus fuit intus, quidquam cibi potusve habuit. Poſtremo per exiguas rimas piſa & id genus ad ipſum devolunt, quibus quoquo modo ſe ſervaret in vita, ſi poſſet. Nec ceſſavit ipſe dies noctesque, cumque ferramenta non haberet alia, cultro comminuit globos diſiicitque, tanto ſtudio, ut cultrum eum, qui fuit magnus validusque more metallariorum, uſu conſumeret totum ad exiguam usque particulam. Factum tamen, ut poſt dies aliquot aperto exiguo foramine proreperet vigilia, inedia, laboreque continuo exhauſtus ita, ut mortuo quam vivo ſimilior eſſet. Mox tamen convaluit, longoque poſtea vixit tempore.

V. Aroſia in ſchola verſabatur juvenis, ſtudiorum gratia, non ante longum tempus. Is in prandio carnis fruſtum incautius minusque comminutum dentibus deglutiens ultimum adibat vitæ diſcrimen, obhærente

rente fruſto circa aſperæ arteriæ initia omnemque ſpirandi facultatem intercipiente. Ac jam ſuffocatus videbatur, jacens videlicet, neque ullum vitæ præbens ſignum. Ergo velut defunctus loculo funebri includitur, & imponitur trahæ, ut ad ſuos, qui longius ab urbe habitabant ruri, deveheretur. Sed dum ſunt in via, equi neſcio quid conſternati, traham cum loculo evertunt, loculumq; ſive capſam funebrem conjiciunt ad ſæpem. Quo jactu vehementiſſime commotum corpus juvenis, fruſtumque carnis, quod hactenus tenaciſſime faucibus obhæſerat, excuſſum eſt. Redit ergo paulatim revocato ſpiritu ad ſeſe is, qui huc uſque creditus fuit mortuus, clamat, pulſatque capuli latera, poſtremo maxima cum admiratione omnium exemtus vivit bene proſpereque multis deinde annis. Quid hoc caſu rarius vel mirabilius poteſt cogitari?

DE IIS, QUI HUMILI LOCO NATI, INCLARUERE

CAP. XXXIV.

PErtinet ad hanc fortunæ indulgentiam ſucceſſus eorum, qui ex tenuibus initiis aſſeruerunt ſeſe in ampliſſimam honorum dignitatumq; lucem. Etſi enim plerisque profuerit eximia ſingularisque virtus, tamen ſuum addidit miniſterium fortuna, oblatis occaſionibus idoneis, quibus virtutem illam exercere publiceq; alii probare valerent.

I. Ordiar à recentiſſimo exemplo. Johannes

Salvius cognomento Adler, in tenui fortuna natus, civem mediocrem Stregneſiæ urbis habuit parentem. Mox litteris animum applicuit, atque Medicinæ primum ſe, poſt & Jurisprudentiæ dedit, in qua publicos quoque meruit honores. Verum cum deinde domum ex peregrinatione longe eſſet reverſus, ac innotuiſſet Axelio Oxenſtiernæ, acerrimamq; vim ingenii probaſſet, commendatus Regi Guſtavo Adolpho cœpit majoribus admoveri negociis, & cum ad bellica, tum ad civilia uſurpari. In quibus cum verſatus eſſet magna fide ac induſtria, primum in nobilium ordinem meruit adſcribi, mox aliis aliisque auctus honoribus ad ipſam dignitatem Senatoriam adſcendit, titulumque Baronis in Orneholm, exemplo plane raro per virtutes ſolas & ingenii ſublimis rectitudinem eſt conſecutus. Vir de cætero inſignibus in Germaniam & regiones alias legationibus, cumprimis illa ultima, qua pacem reddere Germaniæ Europæque poſt triginta annorum luctuoſiſſimum bellum ipſe etiam adlaboravit in comitiis Monaſterienſibus, clariſſimus illuſtriſſimusque.

II. Fuerunt & Johannis Skytte levia initia. Sed divini plane vir ingenii, promtiſſimæque eloquentiæ meruit, ut ex Guſtavi Adolphi Regis adhuc pueri moderatore vitæ ſtudiorumque in nobilium evectus gradum, graviſſimis reipublicæ negociis proficeretur. Quæ cum dexteritate ſumma, fide, circumſpectione, quam in omnibus adhibuit ſingularem, confeciſſet, tandem in numerum regni Senatorum & ipſe transſcriptus eſt. Poſt quod plurimæ in ipſum congeſtæ dignitates. Domi

mi namque factus cameræ ut vocant regiæ præſes, Academiæ Upſalienſis Cancellarius, præſes ſummi apud Gothos tribunalis, ut omittam alia. Baronis inſuper in Duderhoff inſignibus ac titulis à Guſtavo Adolpho, minime titulorum iſtiuſmodi prodigo decoratus eſt. Foris ſplendidiſſimas obivit legationes ad Reges finitimos Principesque pro reſtituenda pace, ineundis firmandisve fœderibus, aliisque patriæ utilitatibus. In quibus vitæ quoque ſuæ diem ultimum fideliter impendit.

III. His ſimilibusque præmiis ornavit Suecia virtutem pacis etiam in ſortis hujuſcemodi viris. Quid dicemus de virtute militari? Certe ſic per eam ſunt evecti multi etiam ex pulvere, ut enumerari nequeant. Nec fortaſſis eſt neceſſe, cum ex ipſis hodieque verſentur in conſpectu conſcientiaque publica longe plurimi. Celeberrimum eſt nomen Marterfeldii, qui ex artifice manuario natus Holmiæ, per invicti animi robur, & ſingularem bellandi peritiam ab infimo militiæ gradu paulatim evectus ad ſummum, cum imperio militari maximo, quod appellant Generale, titulos clariſſimos pridem meruit, multisque ac maximis in patriam meritis illuſtriſſimus evaſit.

DE FORTUNÆ MUTABILITATE
CAP. XXXV.

BEnignioris fortunæ pluſcula hucusque protulimus exempla, dabimus igitur & adverſæ aliqua ſeu variæ potius mutabilisque. Solet quippe quosdam

pilæ inſtar jactare, ac modo efferre in cœlos, modo proſternere in terram, iterumque erigere inconſtantia memorabili, ut nec ſperare nimis ob ipſius indulgentiam, nec deſperare ob invidiam iramve par ſit.

I. Aune filius Jorundi Regis primum patri ſucceſſit in regnum. Mox petitus bello ab Haldano Rege Daniæ pulſusque regno, confugit in Weſtrogothiam, ibique ad mortem Haldani per annos viginti circiter delituit. Defuncto Haldano revertitur in patriam, iterumque Rex fit Sueciæ, ſed tempore non longo. Nam paulo poſt ab Olao Daniæ Rege victus, iterum deſerere imperium, latebrasque ſuas repetere in Weſtrogothia compellitur. Interjecto tempore Olaus ille cæditur à Starkottero veteri. Ergo Aune denuo ad dignitates priſtinas revertitur, imperiumque tenet ad extremum vitæ finem, tertia vice Rex, bina exul ac extorris.

II. Simili propemodum fortunæ luſu circumactus memoratur Carolus Canuti. Privatus quippe, nec cognatione aliqua contingens regiam familiam, ſolisque meritis in rempublicam virtutibusque clarus, poſt Chriſtophorum, conſenſu plerorumque procerum eligitur ad imperium. Mox factione Archiepiſcopi, Chriſtiernum Daniæ Regem præferentis evocantisque, premitur, regnumque deſerere compellitur. Fit proinde exul, Gedanique in Boruſſia per integrum fere ſeptennium ſine ulla ſpe recipiendi regni vitam agit privatam. Mox ob impotentem dominationem, qua fidem datam violaverat, legesque publicas conculcaverat, ſubmoto Chriſtierno, iterum revocatur ab exilio, venit ad prio-

res

res dignitates, patriæque ſuæ præeſt Carolus multiplici omnium cum emolumento ad finem vitæ ſuæ.

III. Poteſt his adnumerari Rex Johannes, filius Guſtavi primi. Hic enim poſt obitum parentis Dux Finlandiæ fuit. Non ita multo poſt incidit in varias apud Ericum Regem, fratrem ſuum, ſuſpiciones, ob quas ſpoliatur ditione ſua, conjicitur in carcerem, accuſatur proditionis ac perfidiæ, capitis poſtremo condemnatur. Denique ne quid deeſſet mali, percuſſor etiam in eum, Andreas Nicolai quidam, mittitur. Dum Andreas abit ad carcerem, Johannique ultima impendet hora, morsque non in ſe quam cauſſis ſuis acerbiſſima eſt ſubeunda, Ericus alia ſecum agitans animo, Andream revocat, Johannem ſicut ante concluſum tenet in vinculis, paulo poſt è carcere dimittit. Interea poſt multa fœda adverſus dignitatem regiam, fidem, æquitatem commiſſa, miſere agitatus à conſcientia propria, dementique quam ſano propior Ericus procerum conſilio deſeritur, inque locum ejus evocatur frater Johannes. Sic qui paulo ante captivus, ſupplex, precarium trahens ſpiritum, tantumque non ultimo affectus ſupplicio, tum liber, Sueciæque Rex conſtitutus, memorabili mutatione fortunæ in ea ipſa dein vincula conjecit Ericum, in quibus ipſe paulo ante tenebatur, & ad mortem uſque ipſius vinctum in eis habuit.

IV. Exemplum Johannis adducit nos ad alterius vetuſtiſſimi recordationem, quod hic placet ſubdere. Regnerus filius Hundigni Regis, novercali Thorildæ odio preſſus afflictusque eo uſque fortunam habuit ad-

verſam, ut auctore Thorilda ejiceretur ex aula paterna, relegaretur rus ad ſtabula, pecus denique regium paſcere cogeretur. Mox eadem fortuna pœnitentia ſævitiæ erga juvenem, ingenio eximio animoque forti meliora meritum, Suanhuitam primo Daniæ Regis filiam Regnero conciliat pecus licet paſcenti, mox ab iisdem ſtabulis conſilio ipſius evocatum liberalitate vero auctum animatumque adducit ad ſpem patrii recuperandi regni. Neque defuit Regnerus fortunæ ſuæ, verum ejecta ſceleſtiſſima noverca in exilium, per virtutem ipſe in paternum ſolium ſe reſtituit ſumma omnium cum admiratione juxta atque gratulatione.

V. Licebit ſpero addere his Urſam, genere quidem Saxonicam, Sueciæ tamen reginam. Fuit ea primum ab Adelo Sueciæ rege capta in bello, quod gerebat cum Saxonibus, & in turba cætera mulierum adducta. Sed cum eſſet forma præſtantiſſima, vultuque modeſto, majores etiam virtutes animi præ ſe ferret, Adelum traxit in amorem ſui, qui mox eam duxit in uxorem, atque ex captiva fecit reginam. Neque multo poſt Adelus quoque bello petitur ab Helgone rege Daniæ. In quo Urſa denuo fit captiva, moxque pari fortunæ mutabilitate uxor Helgonis. Interea Alheda mater Urſæ caſum filiæ cognoſcit, neque parum perturbatur eo, quippe quæ ab eodem Helgone compreſſa, quam ille duxerat uxorem, conceperat filiam. Ergo rem omnem filiæ aperit, illiusq; ipſam oſtendit eſſe filiam, cujus nunc ſit facta tori ſocia. Quod abominata Urſa deſerit Helgonem, & in Sueciam ad Adelum reverti-

vertitur, bis capta, bis hoſti paulo ante ſuo nupta, ejusdemque filia & conjux, eidem marito bis ſociata, nulla ſua culpa vel conſilio, verum admirabili ludibrio fortunæ.

VI. Mira quoque fuit fortuna Johannis magni. Ortus namque genere non ignobili, & ob ſcientiam litterarum inter ſacerdotes ante alios evectus, Romam tandem venit, ubi per ingenium haud vulgare ſe in gratiam inſinuavit Pontificiam, & à Clemente ſeptimo nuncius, ut vocant, miſſus eſt in Sueciam. In hoc ſplendidiſſimo munere cum alia effecit domi apud ſuos, tum Archiepiſcopum Guſtavum Trolle, quod prodidiſſet patriam Chriſtierno tyranno, ſuisq; conſiliis epiſcopos & ſacerdotes pluſculos ab eodem feciſſet capitis ſupplicio affici, ab officio removit. Mox in remoti locum ipſe voto precibusque ſacerdotum ſubrogatus fuit, neque multo poſt à Guſtavo rege miſſus Lubecam ad componendas res inter Sueciam Daniamque. Sed hic fortunæ ad ſumma cum Johanne properantis curſus minime manſit durabilis. Nam paulo poſt in Guſtavi regis iram indignationemque incidit propter negligentiam in demandato ſibi munere faſtumque, quo cum ſpernere videretur regem ipſum ſæpius monentem, poſtremo ab officio ab ipſo ſubmovetur. Quem caſum animo haud æquo ferens clam excedit patria, Gedanumq; fortunæ faventioris expectatione proficiſcitur. Sed cum ſpem ſuam cerneret quotidie decreſcere, Romam repetit, ſi à Pontifice auxilii aliquid adverſus Guſtavum ad recuperandam dignitatem priſtinam

poſſit

poſſit obtinere. Sed & hic deſtituit fortuna ipſum. Nam contemtus, deſertusque ab omnibus in Xenodochio inter lamentationes querelasq; perpetuas contabuit, paupertateq; maxima vitam trahens miſeram, precarioq; victu ægre ſeſe alens conſenuit.

VII. Addemus & hoc exemplum. Temporibus iisdem fuit quidam Jonas nomine, Canuti Andreæ, unius è præcipuis Guſtavi ducibus, ſtabularius. Is incredibili mendacio pro filio Stenonis Sturii, cum extremæ ſortis eſſet, ac mulierem pauperculam in Biærkœſtada haberet matrem, ſeſe venditabat apud Dalecarlos, quos ſentiebat iniqua de Guſtavo fama, velut novæ religionis titulo impietatem & flagitia induceret in regnum, eſſe male animatos. Arte quoq; iſta non paucos ipſorum in ſuam trahebat amicitiam, quin & nobiles nonnulli ſe jungebant ipſi, cum Epiſcopo Aroſienſi, Patre Sunnanvedero, & præpoſito Canuto. Poſtremo faventiſſimæ fortunæ indulgentia nobiliſſimæ puellæ in Norvagia, Nicolai Henrici filiæ matrimonio potitur, ſimulq; Archiepiſcopum Trondhemenſem cum nobilibus plerisque partium ſuarum fecit, militem, arma, pecuniam, annonam, neceſſeriaque alia, vindicandum ſibi, ut credebant, repetendumq; à Guſtavo malæ fidei poſſeſſore imperium paternum ab iisdem conſequitur. Jam in eo erat, ut ex viliſſimo famulo ac ſtabulario regem Sueciæ ſe faceret. Cum repentina fortunæ mutatio ludum priorem fœdè immutavit. Namq; ſceleſtiſſimi mendacii paulo poſt ab illa ipſa, cujus ſe ferebat filium, Stenonis vidua convictus, ac propterea à pleris-

que

que Dalekarlorum deſertus, fugere primum in Norvagiam, mox in Germaniam compellitur. Poſtremo Roſtochii à Guſtavo rege per Wolfgangum Gylerum impoſturæ ac ſeditionis ſceleſtiſſimæ incuſatus convictusque, capitis ſupplicio dedit nequitiæ ſuæ pœnas, atq; ſic à caſa ſtabuloque per dignationem principalem regiamq; ad patibulum ambitioſo plane ac mirabili decurſu properavit.

VIII. Non diſſimili fortunæ luſu circumactus eſt eodem tempore nonnemo, Jonas ſcriba nominatus. Fuerat is in primis adoleſcentiæ ſuæ annis apud molitorem quendam, cui ſuam operam addixerat pro victu. Mox cum neſciō quo caſu veniret in notitiam Guſtavi regis, videreturq; ingenio alacriori, quam ut conſeneſcere in tam vili miniſterio deberet, Arhuſiam ad ſcholas miſſus, litteris non infeliciter incubuit. Quarum ope poſtea adjutus venit in aulam, diverſisque muneribus probata dexteritate ac induſtria inclaruit. Ad ultimum cæpit commendare ſeſe fœminæ illuſtri, Magni Green in Tydœn viduæ, quem cum aliis regni Senatoribus Chriſtiernus Holmiæ capitis ſupplicio affecerat. Et quia fuit morum elegantia plerisque gratus, & conjugium illius viduæ conſecutus, & titulus nobilitatis auctus ornatusque eſt. Verum paulo poſt hæc gratia fortunæ ipſum miſere deſtituit. Dum enim reverenter ipſam neſcit habere, ſed iſta ejus indulgentia in faſtum & contemptum cæterorum turpiter abutitur, à gradu exiſtimationis ſuæ dejectus odium plerorumque incidit, quo conculcatus oppreſſusque, vitam turpiter finivit.

DE LONGÆVIS
CAP. XXXVI.

VIrtutem atque honeſtatem vitæ aliquando ſpatium vivendi longius ſubſequitur. Equidem non ignoramus, neque probos omnes factos ſenes, neque ſenes omnes extitiſſe probos, Ea quippe interdum Numinis divini ex peculiari ratione indulgentia, ut & ſceleratis vitam tribuat diuturniorem. Verum Numinis ejusdem evenire conſilio ſingulari aliquando novimus, ut virtutem ſtrenue ſectanter, longam vivant vitam, quo exemplo ſuis plurimos ad honeſtatis ejusdem pertrahere amorem valeant.

I. Ex hoc genere memoratur apud veteres Starkotterus, vir pro ratione temporum ſuorum vitæ honeſtati deditiſſimus, bellicis vero virtutibus ante omnes eminens ac clarus. Eum quippe ferunt ſingulari gratia deorum, Odini præcipue, ſicut eſt in priſcis fabulis, obtinuiſſe, ut æquaret trium hominum ætatem. Et profecto conſtat ex illorum temporum hiſtoriis, longisſimam annorum ſeriem vivendo expleviſſe, poſtremo defectum ætate, ipſum ſibi quæſito percuſſore finem vivendi feciſſe.

II. Celebratur quoque Auni Regis vita diuturna, quippe qui vivendo ſuperavit annum ducenteſimum & decimum, regnoque annis centum nonaginta præfuit & amplius, ſi quibus exul fuit, his annumeres. Ferunt poſt ætatis annum centeſimum atq; nonageſimum non potuiſſe porro pedibus inſiſtere, vel greſſus moderari ſu-

os,

os, verum ſella circumlatum eſſe, vel decubuiſſe lecto. Decennio poſt infantum ritu præbito per vaſculum corneum mammæ ſpecie lacte nutritum eſſe. Poſtremo nulla valetudine adverſa, verum ipſo ſenio conſumptis viribus, diem ultimum clauſiſſe. Unde factum, ut deinde ſi quis nullo morbo, ſed ætatis ſenilis vitio ac imbecillitate excesſiſſet è vivis, proverbio quodam apud vulgum Ani ſive Aunæ morbo deceſſiſſe diceretur. Quod proverbium oſtendit ſimul, non fuiſſe hanc ætatis ejus longitudinem omnino fabuloſam.

III. Sunt, qui ſimilima prodant de Haquino Rege, cognomento Ring. Nam & ipſum ferunt eo uſq; annorum ætatisque veniſſe, ut conſumtis omnibus corporis viribus, ad inſtar infantis recens editi, agitatis commotisque cunis debuerit deliniri, ſomnum quietemve difficulter alias reperiens, neque cibum, niſi more puerorum ori per ſiphonem inditum immiſſumve capere voluerit.

IV. Centum annorum viri fœminæque reperiuntur etiam noſtris temporibus haud pauci, præſertim inter Dalecarlos & Norlandos. Iſtoc ſingulare, quod temporibus Guſtavi primi Holmiæ accidiſſe obſervarunt fide digniſſimi auctores, celebraſſe quendam centum annorum nuptias cum puella annorum triginta, & ex ipſa ſuſtuliſſe liberos. Unde licet æſtimare, quanto corporis vigore ſubinde floruerint his in terris, ac iccirco longiora temporum ſpacia emenſi ſint vivendo, quam fit apud gentes alias.

V. Certe noſtra etiam memoria factum, quod

ex auctoritatis magnæ viro compertum habemus, ut nonagenarius duceret puellam octodecim annorum, exque ea filium ſuſciperet, ſic oris corporisque lineamentis omnibus referentem patris imaginem, ut dubium eſſe poſſet nemini, verum genuinumq; ipſius eſſe filium.

DE MORTE NON VULGARI CAP. XXVII.

CLaudemus hoc opuſculum, quo claudi ſolent ac finiri omnia humana. De morte, inquam, aliquid adjiciemus, quia fere qualis fuit vita cujusque, talis eſſe mors conſuevit. Quanquam accidat non raro, ut contraria potius ratione bonis mala, malis bona honeſtaque contingat. Mira certe ſæpius in ipſa quoque eveniunt, nec negligenda penitus, ut ex ſequentibus colligitur.

I. Fiolnerus Rex invitatus ad convivium à Frode, Rege Daniæ, dum liberius indulget genio, ebrius ac ſemiſomnus tempore nocturno egreditur cubiculo ſuo, moxque revertitur, aberrans à janua, venit in conclave, ubi ſtabat cupa ingens, plena hydrometi. Quæ cum eſſet loco profundiore collocata, nec contecta tabulis, per tenebras & ebrietatem delapſus in eam, atque velut aquis flumineve ſubmerſus, ſuffocatus eſt.

II. Sueigderum circumvenit dæmonium malum. Cum enim Odini veteris quærendi gratia profectus eſſet peregre in Orientem, veniſſetque in oppidum neſcio quod, circa veſperam præteriens cum ſuis petram

aliquam

aliquam ſurgentem in altum, videt adſtantem pumilionem, invitantem ipſum ad introitum, ſi ſpectare Odinum vellet, ac affari. Venerat Sueigderus recens è convivio, virtusque potu ſimul,& videndi Odini deſiderio incautè obſequitur pumilioni, qui velut foribus quibusdam apertis in petra intromittit Sueigderum, mox concluſam arctè petram eandem reſtituit priori ſuæ ſpeciei, ut quo deveniſſet Sueigderus, ſcire nemo ex comitibus ipſius poſſet. Certe nemini poſt diem illum unquam viſus eſt Sueigderus.

III. Agni Regem conjugis perfidia interemit. Fuit ea Skialffa, Froſte Finlandiæ Regis filia, quam ex captiva ſua paulo ante fecerat conjugem reginamque. Verum ipſa tanti beneficii haud memor, dum Agni celebrat convivium funebre in honorem parentis ipſius juxta ſocerique ſui, ebriusque abit cubitum, necem ſtruit optimo innocentiſſimoque marito. Habebat ille torquem aureum è collo ſuſpenſum, quem ut diligenter cuſtodiret, ne delaberetur, & in alienas perveniret manus, hortabatur. Ergo fraudis nil ſubeſſe odoratus, collo ipſum alligat actiſſime. At ipſa cum ſentiſſet alte ſtertere, funiculum innectit torqui, mox eundem religat ad arborem imminentem tentorio, ſub quo Rex dormiebat, poſtremo ebrium attracto funiculo, & cum eo torque ſurſum effert, eliſisque faucibus interficit, fugaque elabitur.

IV. Egillum taurus occidit. Saginabatur taurus ille victima Odino, verum minus diligenter cuſtoditus erumpebat, decurrebat proximam in ſylvam, ferox-

que infeſtabat omnia. Egillus venator egregius *tollere* hoc malum parat dextra propria. Igitur repertum taurum petit haſta verum ictu minime lethali. Ita taurus ictu eo magis exaſperatus impetum in equum Regis facit, eumque una cum Rege proſternit in terram. Rex exſiliens è veſtigio educere gladium ſuum parat. Sed dum eſt in eo, taurus ſuis cornibus incurrens pectus ipſi transfodit. Quo ex vulnere ſtatim occubuit.

V. Adelus interfectus eſt ab equo. Dum enim in congelato Salæ flumine ipſum incautius circumagit, equus factus efferacior, proſternit eum contra ſaxum, ad quod ſic alliſit caput, ut comminuto cranio, excusſoque cerebro vitam ipſo illo finire momento cogeretur.

VI. Brautamundus obrutus eſt nivibus. Autumnali namque tempore ex itinere revertens domum cum veniſſet in vallem ad Himmiſtadem, ſubjectam monti altiori, imberque vehementior nives eluiſſet ſubtus, illæ ingenti copia cum arenis lapidibusque ex monte devolutæ ipſum cum non paucis aliis, quos habebat ſocios itineris, contexerunt.

VII. Regum caſus vidimus, addamus aliorum. Ante cæteros occurritHildigernus, à fratre, cui ignotus fuit, interfectus. Militabat in exercitu Alarici Regis adverſus Moſchos. Ergo ut virtutem oſtentaret ſuam, permittente Alarico provocaverat ex hoſtibus, ſi quis ſingulari ſecum congredi certamine auderet. Offert ſe Haldanus, Drottæ filius ex Borcharo, qui non longo ante ſuam Moſchis operam addixerat. Quem cum

cum conſpexiſſet Hildegernus, declinare quærit certamen, quod cum fratre uterino (erat quippe ex eadem Drotta natus Hildegernus patre Gunnone, claro inter Suecos viro) ſibi videbat futurum, prætendens claritatem rerum à ſe geſtarum, & adverſarii ſui obſcuritatem, ex quo ſuperato infamiam, quam gloriam habiturus ſit ampliorem. Sed cum paulo poſt interfectis pluribus Haldanus Hildegerni æquaſſet famam, nil inveniens Hildegernus, quod porro prætenderet, congredi cum eo compellitur. Quo in certamine poſt labores multos, & illata utrinque damna letali ab Haldano vulnere petitur. Quo accepto demum aperit ſe fratri, maximoque cum mœrore ipſius deteſtantis hanc victoriam occumbit.

VIII. De quodam alio genere nobili claroque accepimus, quod hauſto avidius fruſto carnis, pro ſuffocato fuerit incluſus capſæ funebri, moxque deportatus eo, ubi ſepulchris majorum erat inferendus, In itinere medio auditos in capſa ſtrepitus, quos alii hoc, alii aliud interpretabantur, cùmque homines pie defuncti ſint in ſede beatorum, non inquietanda eſſe corpora eorum vanis ſuſpicionibus putabant. Poſtquam tamen ventum ad ſepulchrum, capſaque aperta, invenerunt clauſum neceſſitate famis ſua propria invaſiſſe membra, & eo uſque laniaſſe, quo uſque poterat morſu appetere, bonaque fide tandem, cùm deeſſet, quod abſumeret in cibum, deſiiſſe vivere.

FINIS.

NOMINA EORUM, QUORUM EXEMpla in hoc libro recenſentur.

Prius numerus Caput, poſterius Exemplum deſignans.

Aſa ilrade. 15, 11.
Agni. 37, 3.
M. Andreas, Præpoſ. Upſ. 22, 14.
Anundus Carbonarius. 24, 2.
Atislus. 22, 1.
Aunæ. 35, 1. 36, 2.
Bagge *Jacob*. 9, 5. 11, 7.
Banner *Johann*. 8, 5. 16, 7. 33, 1.
Banner *Petrus*. 26, 3.
Bielke *Chriſtina*. 22, 12.
Birger. Magn. 2, 1. 11, 3. 23, 4.
Birgerus Jærl. 19, 3.
Blao *Ivarus*. 16, 1.
Boſa. 24, 4.
Brahe *Nicolaus*. 15, 7.
Brautamundus. 37, 6.
Brigitta. 1, 3.
Carolus Canuti. 6, 3. 7, 1. & 2. 32, 1. 35, 2.
Carolus IX. 12, 1. & 2. & 3. 13, 2. 17, 6. 23, 5.
Carolus Guſtavus, 1, 7. 2, 9. & 13. 8, 2. 10, 5. 11, 9. 15, 4. 17, 7. & 8. 19, 8. 23, 7. 27, 3. 31, 2. & 3. 32, 4.
Catillus Epiſc. Lincopenſ. 28, 3.
Chriſtina. 11, 8. 13, 6. 23, 9.
Dalekarli. 16, 11. 18, 1. 30, 3.
Diſa. 5, 1.
Egillus. 37, 4.
Emundus Legifer. 5, 4.
Engelbertus. 8, 4. 10, 1. 16, 2. 28, 1.
Ericus diſertus. 3, 4. 5, 3. 19, 4. 26, 7. 29, 1.
Ericus Sanctus. 1, 2. 19, 2. 21, 1. & 2.
Ericus Canuti, 13, 2.
Ericus Balbus. 19, 6.
Ericus XIV. 7, 4.
Eques quidam. 6, 4.
Flemming *Ericus*. 9, 3.
Folchungus *Carolus*. 15, 3.
Fredag *Petrus*. 9, 4.
Gadd *Hemmingus*. Epiſc. Lincop. 29, 3.

de

de la Gardie *Jacobus*. 8, 7. 16, 6. 17, 10.
Gauthe. 17, 1.
Gœthricus. 14, 4. 20, 1. 22, 2. 25, 6.
Gunilda. 25, 1.
Guſtavus I. 1, 4. 5, 7. 8, 3. 11, 6. 12, 4. & 5. 13, 3. & 4. 15, 6. 17, 4. 20, 5. 22, 18. 27, 1. & 2. 28, 2. 31, 4. & 5. & 6. 32, 5. & 6. & 7.
Guſtavus Adolphus. 1, 6. 2, 5. & 7. & 8. 4, 3. 8, 1. 9, 7. 10, 2. & 3. & 4. 13, 5. 14, 1. 15, 5. 17, 5. 21, 6. 22, 7. 23, 6. 27, 5. 29, 5. 31, 1. 32, 2. & 3. 33, 8.
Guſtavus Erici. 1, 5.
Gutha. 21, 5.
Gyldenhielm *Carolus*. 22, 9.
Gyldenſtierna *Nicolaus*. 3, 5
Hacho. 9, 1.
Hagbardus. 25, 5.
Hagen. 15, 10.
Haldanus. 5, 2. 30, 1.
Haquinus Ring. 19, 1. 36, 3.
Haquinus Rode. 27, 4.
Hartbenus. 18, 4.
Henricus Archiep. Upſ. 5, 6.
Herigarius. 1, 1.
Herrodus. 24, 4.
Hildigernus. 37, 7.
Horn *Guſtavus*. 8, 6.
Hotterus. 23, 11.
Hundingus. 24, 1.
Jeruskiæld *Toro*. 18, 3. 24, 7.
Ingerdis. 4, 1. & 2.
Ingo III. 11, 1.
Johannes Daniæ. 2, 1. 3, 2.
Johannes III. 2, 3. & 4. & 5. 7, 3. 16, 5. 19, 7. 35, 3.
Johannis ducis uxor. 25, 3.
Johannes Magnus Archiep. Upſ. 35, 6.
Jonas ſcriba. 35, 8.
Iſrael Birgeri. 20, 3.
Kurck. 33, 2.
Leionhufud *Erick*. 30, 6.
Lille *Bengt*. 15, 8.
Magnus Johannes. 18, 6.
Magnus Ladulas. 11, 2. 13, 1.
Marderfeld. 34, 3.
Margaretha. 22, 5.
Martinus Helſingus. 16, 9.
Matthias Kettilmundi. 15, 14. 19, 2.
Milites Suetici. 12, 6. 26, 4. & 8. (18.
Mulier quædam, 15, 16. &

Muhr

Muhr *Johannes.* 4, 9.
Nicolaus Achatii. 15, 12.
Nicolaus Arvidſon. 14, 6.
Nicolaus Ragveldi Archi-
epiſc. Upſ. 29, 4.
Obſtetrix Holmenſis. 3, 3.
Olaus Skottkonung. 18, 5.
Oxenſtierna *Axelius.* 5, 8.
28, 4. 29, 6.
Oxenſtierna *Ericus.* 3, 9.
Oxenſtierna *Gabriel.* 9, 6.
Petrus Nericius Archiep.
Upſal. 22, 15.
Plata *Erengiſſel.* 15, 15.
Populus Suecorum. 21, 4.
22, 3. & 4. 24, 1. & 2. &
3. 26, 6.
Poſſe *Canutus.* 11, 4.
Præſidiarii milites. 14, 10.
Proceres regni. 5, 5.
Puer Wadſtenenſis. 3, 1.
Quidam. 30, 5. 33, 4. & 5. 36,
4. & 5. nobilis. 33, 3.
Regnerus Hundingi. 35, 4.
Rolfe. 15, 3. 17, 2.
Ruſtici. 12, 7. 16, 10.
Sacerdos. 4, 2.
Salvius. 34, 2.
Sigiſmundus. 3, 7. 14, 3.
Scarpatungari uxor. 25, 2.
Skepperus. 1, 8.
Skytte *Johannes.* 22, 8. 34, 2.
Soop *Matthias.* 26, 2.
Starkotter. 15, 1. 18, 2. 21, 3.
26, 1.
Stenkillus. 20, 2.
Stenkillus II. 30, 2.
Steno. 15, 13.
Stiernskiold *Nicolaus.* 14,
8. 16, 8.
Sture *Nicolaus.* 26, 5.
Sture *Steno.* 6, 1. & 2. 11, 4.
17, 3. 21, 7. & 8. 22, 16.
Sture *Steno* Junior. 22, 6.
Sture *Suanto.* 14, 7. 20, 4.
22, 17. 27, 5.
Sture ſuppoſititius. 35, 7.
Sueigderus. 37, 1.
Torberga. 15, 17. 25, 4.
Torchillus Canuti. 9, 2.
Torgup legifer. 16, 3.
Toruskiœld *Martinus.* 9, 9
Torſtenſohn Lennartus. 8,
8. & 9. 17, 9.
Trolle *Anna.* 22, 11.
Turo Johannis. 14, 5.
Vincentius Epiſc. Scaren-
ſis. 16, 4.
Vrede *Henricus.* 26, 1.
Urſa. 35, 5.

A01 1469745